Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo; petite, & accipietis. Joann. 16.

III. ARGUM. Cur Deus preces noſtras non audit.

Cur ſæpe Deus preces noſtras non audit? Quare inutiles ſunt, & carent effectu? Hoc triplici verbo docet Sanctus Auguſtinus, quæ erunt ſermonis partitio. *Mali petimus, Mala petimus, Male petimus.*

Primum. Cum oramus tales non ſumus quales eſſe deberemus. Sumus in peccato, & quin inde emergere adnitamur, gratias deprecamur, quas ſuis tantum deſtinat amicis. Si quid impetrare cupimus, vel eſſe debemus in gratia, vel in voto in eam revertendi.

Secundo. Licet in gratiæ ſtatu verſemur, quin ſaluti noſtræ utilia petamus, vilia, & nullius pretii petimus votis noſtris indigna; quamobrem ſpiritualia petenda ſunt; & digna Dei, a quo petuntur, magnificentia.

Tertio. Male petimus, neque eo modo, quo Deus orandus eſt, videlicet cum humilitate, fervore, & perſeverantia; quæ ſunt conditiones, quibus preces noſtræ ſunt conſociandæ.

Vide locum ſuperius memoratum.

Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo; petite, & accipietis. Joann. 16.

IV. ARGUM. Tria, quæ preces noſtras Deo acceptas reddunt.

Oraturis tria ſunt præcavenda, quæ ſi deſint, metuendum eſt, ne repulſam patiamur.

Primo. A quo petimus, & ad quem confugimus gratiam impetraturi. Ad Deum nempe, Supremam Majeſtatem, quæ nobis aures præbere dignatur; ideoque cum reverentia, cum humilitate, & noſtræ miſeriæ præfatione noſmet illi præſentare debemus.

Secundo. Quæ ab illo petenda ſint? Hæc ille nobis in Dominicali Oratione præſcripſit. Ea quæ ad illius quidem gloriam, noſtram vero ſalutem pertinent.

Tertio. Quomodo petenda ſint? ſcilicet cum confidentia, fervore, reſignatione, & potiſſimum cum perſeverantia.

Vide locum eumdem.

IN ASCENSIONE
DOMINI.

Et Dominus quidem JESUS, *poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in Cælum.* Marc. 16.

I. ARGUM. Salvatoris Aſcenſio ſpei noſtræ fundamentum.

ECCE tandem, Auditores, felicem exitum laborum Salvatoris Mundi, & glorioſum terminum itineris ejus, quo nomine illum Sanctus Bernardus appellat; poſtquam enim de Cælo in terram propter ſalutem hominum deſcendit, & poſtquam magnum illud opus abſolvit, hodierna die terram relinquit reverſurus in Cælum. Beatam diem! qua Cælum, quod per tot ſæcula clauſum erat, tandem aperitur ad ingreſſum præbendum huic Homini-Deo victoriam de morte, omnibuſque inferorum poteſtatibus referenti. Diem triumphalem! cujus pompa, & apparatus reſpondet Majeſtati hujus Regis gloriæ ad remuneranda opprobria, & contumelias, quas amoris noſtri cauſſa ſubire dignatus eſt. Diem lætitiæ, & conſolationis! quandoquidem ſpem facit, nos quoque ingreſſuros in hoc regnum æternum, cujus per aſcenſionem pro ſe, ſimul ac nobis Salvator adit poſſeſſionem.

Ita, Fideles, Dei Filius in aliis omnibus Myſteriis voluit hominum utilitatem cum ſui nominis gloria conciliare: quæ agendi ratio nunquam magis, quam in hac enituit occaſione: quippe felicitas noſtra conſequitur illius felicitatem: in Cælum aſcendit, ut nos illuc trahat; illud ſibi comparavit, ut nobis præberet jus eo contendendi; & illuc aſſumptus eſt coram Apoſtolis ſuis, ut excitaret in illis ſpem illuc ad ejus exemplum perveniendi. Quamobrem hodierna die Filii Dei Aſcenſio haberi poteſt, non tamquam gloriæ ſuæ poſſeſſio, ſed tamquam ſpes noſtræ.

Primo, quia illius eſt præſtantiſſima cauſſa, ac ſolidiſſimum fundamentum.

Secundo, Quænam eſſe debeat ſpes a nobis concipienda videntibus Salvatorem in Cælum ſublatum, & quomodo regenda ſit, ut fiat medium, quo nos quoque aliquando aſcendamus, noſmet corde, & affectu ex hac vita attollentes. Hæc erit Sermonis partitio, qui Myſterium hoc in diſciplinæ praxim convertet, cujus uſus familiaris eſſe debet Chriſtifideli.

Pars prima.

Dico Aſcenſionem Domini ſolidiſſimum eſſe fundamentum, & validiſſimam ſpei noſtræ rationem, ſi mecum tria velitis animadvertere, quæ in hoc argumento ſunt maxime propria, & obvia. 1. Dei Filium nobis acquiſiviſſe jus contendendi in Cælum, quo ille prior ingreſſus eſt, & cujus aditum nobis reſeravit tot ante ſæcula clauſum. 2. In hac Aſcenſione nobis etiam oſtendit viam, quæ nos adducit in Cælum, & vitam; videlicet humiliationem, & paſſiones, per quas meritus eſt attolli, & gloria coronari: *Vidimus* JESUM *per paſſionem gloria, & honore coronatum*; ut Apoſtolus loquitur. (ad Hebr. 2.) 3. Salvator in Cælum aſcendens, & ſedens ad Patris ſui dexteram ipſe nobis neceſſaria ſuppeditat auxilia, ut ad gloriam, quam ipſe nobis comparavit, perveniamus.

Pars altera.

Ut autem innoteſcat, quænam eſſe debeat ſpes Chriſtiani, aliquando poſſidendi Cælum, ſupremumque bonum, cujus Dei Filius per Aſcenſionem ſuam jus nobis comparavit; conſiderandæ ſunt nobis conditiones, & qualitates ſpei generatim; eæque applicandæ peculiariter huic Aſcenſionis Myſterio. 1. Præſupponit deſiderium, quod ab ea ſeparari non poteſt, Sanctus Thomas ait. 2. Poſtulat animum, & generoſum conatum ad acquirendum bonum difficile, quod illius objectum eſt. 3. Illam ſubſequitur certa lætitia, quæ poſſeſſionem præcedit, & quæ efficit, ut in anteceſſum eo perfruamur. Hic proprius eſt character Chriſtianæ Spei, quem Dei Filius in Cælum aſcendens impreſſiſſe videtur in corde diſcipulorum ſuorum, & qui connotatus eſt in Evangelio per circumſtantias pompæ illius, cujus ſpectatores fuerunt.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Myſt. Theolog. Titulum: ASCENSIO.

Et Dominus quidem poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in Cælum. Marc. 16.

II. ARGUM. Ideo Filius Dei aſcendit in Cælū quia deſcendit in inferiores partes terræ.

Argumentum quod mihi videtur æquius, & maxime accommodatum huic Myſterio, & quod locum præbet pluribus animadverſionibus ad Mores ſpectantibus, illud eſt, quod nobis ſuggerit Sanctus Paulus, cum aſſerit JESUM CHRISTUM ideo ad Cælorum verticem aſcendiſſe, quia primum uſque ad infimas terræ partes deſcenderat; innuens, quantum Dei Filius in Mundo cum viveret, humiliavit ſe, tantum per glorioſam Aſcenſionem ſuam fuiſſe exaltatum. Ubi Sanctus Thomas advertit, ipſum tribus potiſſimum in rebus ſe ſe humiliaſſe, quæ conſequenter fuerunt tamquam totidem gradus elevationis in hoc glorioſo Myſterio, & quæ Sermonis hujus partitionem conſtituent.

Primo humiliavit ſe ratione loci, deſcendens uſque ad profundas terræ abyſſos, & ad compenſandam admirabilem hanc humiliationem ſublatus eſt uſque ad Cælorum verticem.

Secundo humiliavit ſe in honore, & exiſtimatione ſua perpeſſus omnes contemptus, injurias, & excogitabiles contumelias, atque ut inquit Propheta, opprobriis ſaturatus. In hoc autem Myſterio Rex eſt gloriæ, & magnificentiſſimo triumpho decoratur.

Tertio humiliavit ſe habita ratione ſuæ poteſtatis, quandoquidem ſubjecit ſe univerſis terræ poteſtatibus; Sed in hoc Myſterio ſupremam adipiſcitur poteſtatem ſuper omnia creata. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in Terra.* (Matth. 28.)

Vide locum ſuperius memoratum.

Et Dominus quidem JESUS, *poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in Cælum.* Marc. 16.

III. ARGUM. J. C. per Aſcenſionē ſuam nobis aperit Cælum, & ſpem præbet illuc ingrediendi.

JESUS CHRISTUS per Aſcenſionem triumphalem ingreditur in poſſeſſionem debitæ ſibi gloriæ, ſimulque obtinet nomen glorificatoris hominum, pro quibus aſcendit in Cælum, quemadmodum pro illis illinc deſcenderat. Profecto tria requirebantur, ut glorioſum hunc Glorificatoris titulum ſibi compararet.

Primo. Aperit Cælum, quod hactenus clauſum fuerat omnibus hominibus, ubi oſtendendum eſt, quomodo hoc fuerit, & quomodo præter ipſum erat nemo, qui hoc facere poſſet.

Secundo, opus erat ut certam nobis adſtrueret ſpem, illuc ingrediendi; quænam eſſe debebat hæc ſpes & in quo fundata.

Tertio, opus erat ut illuc noſtra attraheret deſideria: ibi enim theſaurus noſter eſt, ideoque ibi quoque decet eſſe cor noſtrum, ſicut ipſe ait. Hoc autem ex Salvatoris Aſcenſione percipimus: Cælum modo patet, & in nobis ſitum eſt, illuc ingredi: per hoc certam habemus ſpem fore ut ibi admittamur meritis hujus Hominis-Dei innixam. Ille nos eo trahit, vel ſaltem trahere debet per ferventia deſideria; quoniam hic locus eſt noſtræ quietis, ubi perfecta fruemur beatitudine; & hæc eſt cauſſa propter quam Sanctus Leo Aſcenſionem Filii Dei hominum elevationem, & glorificationem appellat.

Vide locum eumdem.

Et

Et Dominus quidem JESUS *poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in Cælum.* Marc. 16.

IV. ARGUM. Salvator adit poſſeſſionem Regni Cælorum. Pſalm. 23.

In hoc Myſterio Salvator hominum vere eſt Rex gloriæ; quem titulum illi tradit Pſalmiſta Prophetico Spiritu de illius Aſcenſione locutus. *Quis eſt iſte Rex gloriæ? iſte eſt Rex gloriæ.* Idque triplici ex cauſſa, quæ tres hujus Sermonis partes conſtituent.

Primo, quia poſſidet Regnum Cælorum titulo acquiſitionis, qui procul dubio titulus eſt glorioſiſſimus, ſed uni Filio Dei debitus, qui illum adeptus eſt per ſolam virtutem, & ſumptum Sanguinis ſui, qui ſolum ſibi magnam hanc acquiſitionem comparavit, quia gloriam cum aliquo partiretur, ut victores alii, qui victoriarum ſuarum debitores ſunt Ducum ſuorum virtuti, ac militum fortitudini. Ipſe unus pugnavit, ipſe unus erogavit ſumptus, ipſe unus denique ſibi viam in Cælum antea inacceſſum aperuit.

Secundo per modum, quo adit Regni hujus poſſeſſionem; modum videlicet, quo & illuc ingreditur, & quo illic excipitur: videlicet triumphans, cum honorifico Sanctarum animarum apparatu, quas de captivitate liberavit, Spirituumque beatorum occurrentium obviam illi in nube fulgida, quæ loco eſt currus triumphalis, & cum eo omni apparatu, qui maxime ejus meritum, & perſonæ dignitatem decebat.

Tertio per ſupremam, quam exercet poteſtatem; bonum enim, & commoda, quæ procurat ſubditis ſuis; dona, & gratias, quæ illis largitur, & quæ illi impoſterum operaturi ſunt; hæc omnia mirifice in ipſius gloriam cedunt &c.

Vide locum de quo ſupra.

PRO DOMINICA
INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis. Joan. 5.

I. ARGUM. Contra humanū Reſpectum, qui vetat ne perhibeamus teſtimoniū noſtræ Religionis, & fidei.

EN, lectiſſimi Auditores, duo eximii effectus Spiritus ſancti, de quibus hodiernum loquitur Evangelium, & qui in duplici continentur teſtimonio, quod perhibiturus eſt de perſona Filii Dei. Primum interius eſt, quod per ſe immediate faciet, & per ſecretam operationem in cordibus ſub fidei jugo captivandis. *Ille teſtimonium perhibebit de me*; Alterum vero exterius eſt, ab Apoſtolis perhibendum, qui palam Deum ſuum profitebuntur illum eſſe, quem antea non audebant pro Magiſtro cognoſcere. *Et vos teſtimonium perhibebitis.* Ita ut qui de illo ſcandalizati ſunt, vel qui illum in morte negaverunt propter metum hominum; illum audacter confeſſuri ſint in rotis, & eculeis: qui non audebant ſe vocare ejus Diſcipulos, primi omnium perhibituri ſint teſtimonium doctrinæ illius; illi, quos puduit ſe eumdem ſecutos eſſe, palam profeſſuri ſint coram Judicibus, atque Tyrannis, ſe nolle vivere, aut mori niſi propter illum, & effuſionem Sanguinis ſui vocatum iri Martyrium, videlicet ſuæ fidei, ac religionis teſtimonium. Hæc autem duo teſtimonia interius nempe, ac exterius arcte adeo ſibi conjuncta ſunt, ut audeam dicere alterum ſine altero eſſe non poſſe; unde inferri poteſt eum qui timet, & quem pudet profiteri, quod eſt; videlicet, timentem palam facere ea, quæ fides, & Religio ipſum facere jubent, non eſſe vere Chriſtianum. Hunc, ut videtis, hominum metum, qui vulgo reſpectus humanus vocatur, hodierna die perſequor.

Sunt, Auditores, duo vitiorum genera prorſus ſibi oppoſita, & ex æquo metuenda in virtutum praxi, & actionum Chriſtianarum exercitatione, videlicet vanitas, & humanus reſpectus, quæ vocare poſſum ſcopulos, in quos alliſa plerorumque mortalium virtus naufragium facit. Duo hæc vitia ſibi ex diametro adverſantur: Per alterum enim omnia fiunt, ſicut Dei Filius teſtatur, *ut videantur ab hominibus*; & Alterum vetat, ne quid fiat, præ timore, ne hoc ab hominibus videatur. Alterum quærit lucem, & virtutem exercet, non tantum propter ipſam, quantum propter honorem, & exiſtimationem, quæ illam ſubſequitur; Alterum vero latet, & pudore ſuffunditur non quia bonum eſt, ſed propter verecundiam, & commentitium dedecus, quod virtuti inhærere arbitratur. Alterum jugulat omnes productiones virtutis, ſimulac erumpere incipiunt; & alterum vetat, ne lucem videant, eaſque mactat in corde, ubi conceptæ fuerunt; Alterum denique eripit gloriam Deo, cui debita eſt, alterum vero prohibet, ne tribuatur illi. Quamvis autem hæc duo vitia ſint æque metuenda, & alterum non minus altero vetet, ne perhibeamus teſtimonium illud, quod debemus Deo, mihi ſatis erit hodierna die loqui de malo, quod magis urget, & uſitatius eſt hoc tempore, quo hominum plerique, quin ex virtutibus ſuis gloriam aucupentur, illos potius ſuæ fidei, & religionis pudet, & erubeſcunt coram hominibus adeo præclari nominis officio fungi.

Hoc in argumento, Auditores, fert animus oſtendere, eum, qui propter inanem hunc reſpectum, ineptumque timorem renuit perhibere Filio Dei fidei teſtimonium, quod expetit; hoc eſt, quem pudet palam hominis Chriſtiani muneribus fungi, ſibi expectare debere

Primo fore ut Dei Filius illum recognoſcere abnuat coram Patre ſuo, *Qui me erubuerit coram hominibus, erubeſcam, & ego eum coram Patre meo.* (Luc. 9.)

Secundo, fore ut non mereatur hominum teſtimonium, quoniam videbit ſe ab hominibus contemptum, quibus placere conatur ſumptibus officii ſui.

Tertio tandem non frui poſſe conſcientiæ ſuæ teſtimonio, quoniam hic humanus reſpectus illum in plurima crimina præcipitem daturus eſt. Hæ tres ſunt rationes quibus hodierna die utor, ſuaſurus, ut virtutem audacter profiteamini, & publicum perhibeatis veſtræ fidelitatis teſtimonium Domino, cui famulamini. Hoc erit argumentum, & hujus ſermonis partitio.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Mor. Evangel. Titulum: RESPECTUS HUMANUS.

Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. Joann. 15.

II. ARGUM. Nemo poteſt majorem Deo honorem teſtari, quam perferendo propter amorem illius. De bono tribulationum locuti ſumus in Evangelium feriæ ſecundæ poſt Reſurrectionis Dominicæ.

Operoſum non eſt, Auditores, hanc vobis probare veritatem, neque enim majorem teſtamur generoſitatem, ab omni cupiditate alienationem, ac fidem Deo, quam in tribulationibus; hæ ſunt conditiones præcipuæ, quæ magnum, perfectumque amorem oſtendunt, conditiones, quæ excellenter conjunctæ videntur in ipſa etiam erga Deum Caritate.

Primo cum magno, & æquo animo omnes excipimus ærumnas, quæ ab ipſo proficiſcuntur; quia hic amor fortior eſt, & generoſior; namque illi placituri patimur, quidquid gravius eſt, atque acerbius.

Secundo, purior eſt, & ab omni cupiditate remotior: oſtendit enim, Deum amari, eique ſervitutem præſtari non propter hujus vitæ bona, neque ſpem terrenæ alicujus utilitatis.

Tertio denique conſtantior, & fidelior eſt, quandoquidem cruces, & perſecutiones nequeunt nos ab illius ſervitute divellere. Paucis percurramus tria hæc ſui amoris argumenta, ex quibus intelligemus qualis ſit noſter, & qualis eſſe debeat amor veri Chriſtiani erga Deum, qui nunquam magis nobis teſtatam reliquit amoris ſui magnitudinem, quam cum paſſus, ac mortuus eſt pro nobis.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum: TRIBULATIONES.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit; ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis. Joann. 15.

III. ARGUM. De bono exemplo, quod eſt teſtimonium quod Deo, perhibere debemus, & quod ipſe expectat a nobis. 1. Joann. 5. Matth. 3.

Jure optimo dixerat jam Salvator tres eſſe perſonas; quæ de ſe teſtimonium perhibebant in Cælo: videlicet Pater æternus, Verbum Divinum, ſcilicet ille ipſe, & Spiritus ſanctus. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus.* Æternus Pater illi reddidit teſtimonium in ipſius Transfiguratione. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Spiritus ſanctus illi perhibuit teſtimonium, cum ille baptizaretur, deſcendens ſuper illum in ſpeciem columbæ, comitante ipſum voce miraculoſa. Verbi perſona illi etiam præbuit teſtimonium: ipſe enim ad Judæos loquens dixit illis, actiones ſuas, & miracula, quæ alius præter Deum operari non potuiſſet, ſatis perhibere teſtimonium ſupremæ ſuæ poteſtatis, quamvis teſtimonium illud, quod ore proprio proferebat, admittendum non eſſet; *Opera, quæ ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me.* (Joann. 5.) Difficilis eſſet cognoſcere illa tria, quæ ſuper terram de ipſo perhibent teſtimonium. *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra Spiritus, & aqua, & ſanguis.* (1. Joann 5.) Quin immorer in ſingulis explicationibus, quæ verbis iſtis tribuuntur, dicere poſſum eſſe creata ſen-

ſu carentia Cælum, Terram, & Mare per ea prodigia, quæ fecit in vita, & morte ſua; Angelos illum Paſtoribus prædicantes; Reges Magos illum civitati Jeruſalem nuntiantes, Sanctum Joannem Baptiſtam mortalium omnium Sanctiſſimum illum oſtendentem Judæis; ipſum ejus Judicem in morte, ipſoſque ejus inimicos, qui Reſurrectionis ipſius teſtes fuerunt. Sed præterea Spiritus ſanctus illi teſtimonium perhibuit, effecitque ut ſuper terram illi certiſſimum perhiberetur teſtimonium per ſe ipſum, & per Apoſtolos, qui illum in univerſo terrarum orbe prædicarunt, feceruntque ut ab omnibus nationibus coleretur. Deinceps plures Martyrum Myriades, per Sanguinis ſui effuſionem teſtimonium illi perhibuerunt, & primi Chriſtiani per morum ſuorum ſanctitatem teſtatam fecerunt doctrinam Magiſtri, quem ſequebantur. Verum cum teſtimonium, quod ut Salvatori perhiberetur, Spiritus ſanctus deſcendit ſe ſe ad omnia ſæcula debeat extendi; opus eſt, ut Chriſtiani omnes, quorum vita irreprehenſibilis eſt, quorum ſanctitas, & bonum exemplum ſunt opus Spiritus ſancti, modo teſtimonium perhibeant eidem Salvatori, ut illa adimpleantur verba; *ille teſtimonium perhibebit de me.* Quapropter mens eſt hodierna die vobis oſtendendi peculiariter duo, quæ ſermonis hujus partitionem conſtituent.

Quorum primum eſt obligatio, qua Chriſtianus quilibet tenetur aliis bonum præbere exemplum in omnibus actionibus vitæ ſuæ.

Alterum vero magnum bonum, quod bonum exemplum ferre poteſt in Mundum ad Majorem Dei gloriam, & cultum, ſi Fideles hoc munere rite perſungerentur. De bono tantum exemplo, ut videtis, verba facturus ſum, quin loquar de pravo, & ſcandalo, de quo alias verba facturi ſumus.

Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum; EXEMPLUM.

PRO DOMINICA

PENTECOSTES,

Factus eſt repente de Cælo ſonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, Act. 2.

I. ARGUM. Quid Spiritus ſanctus faciat in nobis, & quid per nos faciat.

TANDEM aliquando pax eſt conſtituta, & fœdus æternum Cælum inter ac terram feriendum eſt; quandoquidem ultro citroque datæ ſunt arrhæ. Præteritis diebus terra miſit in Cælum quidquid ibi erat antiquius in perſona Salvatoris Mundi, qui die glorioſæ Aſcenſionis ſuæ in Cælum aſſumptus fuit; Cælum vero hodierna die mittit in terram quo nihil pretioſius habet largiens illi Spiritum ſanctum qui futurus eſt fœderis vinculum. Ita quemadmodum tunc dicebamus, terram ad Cælorum verticem aſcendiſſe, cum homo ſimilis nobis ſuper omnes Angelorum Choros aſcendit; ſimili ratione modo dici poteſt, Cælum in Terræ locum ſubiiſſe, cum Spiritus ſanctus poſſeſſionem adiit cordium noſtrorum. Hæc ſane erat mens Dei, quemadmodum per Prophetam pollicitus erat, ſe facturum terram prorſus novam efficiendo, ut homines, qui antea terreni, & carnales erant, fierent ſpirituales, atque cæleſtes; quemadmodum in novam faciem Cælos immutaverat per præſentiam glorioſi Corporis Domini.

Verum quis crediſſet Fideles, Deum poſtquam omnes exhauſerat theſauros ſuos, nobis largitus Filium ſuum, inventurum fuiſſe modum alterum nobis munus largiendi, quod non eſſet priore deterius? Etenim quod nobis hodie largitur non ſolum donum eſt, ſed auctor donorum omnium; non ſolum gratia, ſed gratiarum omnium fons, & principium; non ſolum pignus amoris, ſed ipſe Amor, ut ſit vinculum affinitatis noſtræ cum divinitate, atque ut nos attollat uſque ad participationem naturæ. Verbo, ſicut ille eſt Spiritus ſanctus, & ſanctitas eadem, venit in nos, ut nos ſanctos efficiat, videlicet; ut nos vivere faciat vitam ſanctam, ſupernaturalem, atque divinam. Ita ut Eccleſia jam per Mundi Salvatorem inſtituta, per ejuſdem miracula confirmata, & proprio ejuſdem cruore firmius adſtricta, hodierna die Spiritu ſuo animetur qui in flatus ſpeciem deſcendit in Apoſtolos, non ſolum ad ſignificandum, quod perſonæ ipſius proprium eſt, quippe qui procedit a Patre & Filio per ſpirationem; verum etiam ut oſtendat, quemadmodum in naturali vita nemo ſubſiſtere poteſt ſine aeris reciprocatione, ita nos vivere non poſſe viam ſanctam, & ſupernaturalem ſine Spiritu ſancto, qui illius Auctor eſt. Quapropter inter cetera nomina, quibus nuncupatur, potiſſimum Spiritus ſancti nomen ſibi vendicat, quod ſanctitas ſua illi ſpeciatim attribuit; venit enim ad eam producendam in cordibus noſtris, tamqum præcipuam, præſtantiſſimamque ſuimet ipſius communicationem.

Primo efficiendo ſe principium interius vitæ ſanctæ, atque divinæ per gratiam ſanctificantem, quæ nos Sanctos, & juſtos facit, & quæ nos evehit uſque ad dignitatem filiorum Dei per adoptionem, quæ quidem eſt qualitas ceteris dignitatibus præferenda, & quæ nobis confert jus ad gloriam, quatenus hæredibus Regni Dei.

Secundo cum vita non ſit, niſi propter actionem, ille ſe præbet tamquam principium agens, quod nos impellit, atque excitat ad actiones conformes huic ſtatui per actuales gratias, quæ vocari poſſunt flatus animati ab hoc divino Spiritu, qui nos prævenit, ſed cujus impreſſionibus obſequi debemus.

Itaque, Fideles, aſſero, hunc dupliciter noſtri habita ratione eſſe Spiritum ſanctum: tum quia ſuam nobis communicat Sanctitatem, tum quia efficit, ut, quemadmodum decet Sanctos, vivamus. Per alterum quidem modum manet in nobis; per alterum vero nos regit, & ad agendum impellit. Primus nobis oſtendet, quid operetur in nobis; alter vero quid per nos operetur; quod in duabus Sermonis hujus partibus palam fiet.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Myſt. Theolog. Titulum; DESCENSUS SPIRITUS SANCTI &c.

Factus eſt repente de Cælo ſonus tamquam advenientis Spiritus vehementis, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, Act. 2.

II. ARGUM. Deus in reformatione hominis in ſtatu gratiæ eamdem ſervat rationem quam ſervarat in illius formatione naturali.

Inſtitui poteſt ſermo huic argumento oppoſitus oſtendendo Deum in hominis reformatione in gratiæ ſtatu eamdem ſervare rationem, quam in ejuſdem formatione ſervavit, illi naturalem ſtatum impertiens.

Primo. Quod primum fecit Deus poſtquam finxit ex limo terræ corpus hominis, inſpiravit illi vitæ flatum, qui operatus eſt in illo admirabilem cum Creatore ſuo ſimilitudinem. *Inſpiravit ei ſpiraculum vitæ, & factus eſt in animam viventem.* Hoc operatur nobis Spiritum ſanctum impertiens, qui in nobis eſt vitæ principium per gratiam, quæ nos facit Dei Filios per adoptionem, & efficit nos ſimiles, atque participes naturæ Creatoris: ubi latius differendum eſt de præſtantia, & bonis vitæ hujus prorſus divinæ.

Secundo. Creavit Deus hominem in Originali Juſtitia, quæ illi perfectum contulit imperium in ſe ipſum, & in omnes affectus ſuos, non ſecus ac in omnia terræ animalia. Hoc ipſum operatur Spiritus ſanctus in animabus noſtris. Delet peccatum per gratiam ſanctificantem, nobiſque in noſtras cupiditates reſtituit imperium, nobis vim tribuens illas ſubigendi, & ſubjiciendi rationi; & ſi minus auſert nobis concupiſcentiam, hoc inde fit, ne deſit exercitatio virtuti noſtræ, vel meritorum occaſio.

Tertio. Statim ac hominem creavit Deus ad imaginem ſuam, eumque Dominum conſtituit ſui, omniumque rerum creatarum, ut hic intelligeret ſuper ſe ſupremum eſſe Dominatorem, cujus illi facienda erant imperata; mandavit illi, & mortem minitatus ipſi, omnique ipſius generi, ſi abuteretur libertate, qua donatus fuerat, ad mandatum illud infringendum. Nonne hoc ipſum facit Spiritus ſanctus ſcribens in cordibus noſtris legem amoris, & caritatis, quam violare non licet, quominus mortem nobiſmet conſciſcamus, & in nobis divinum hunc Spiritum extinguamus?

Vide locum ſuperius memoratum.

Factus eſt repente de Cælo ſonus tamquam advenientis Spiritus vehementis; & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, Act. 2.

III. ARGUM. Apoſtoli indigebant plenitudine Spiritus Veritatis, & Fortitudine, ac ſanctitate ad pugnandum adverſus Spiritum Mundi.

Non immerito Scriptura, ut nobis oſtenderet effectus adventus Spiritus ſancti, illos complexa eſt nomine plenitudinis, quod illos nobis repræſentat cum omnibus gratiæ donis; *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui.* Spiritus ſanctus aliquando ſe communicat *ſecundum menſuram*, ut Apoſtolus loquitur; ſed hodierna die ſine exceptione, & ſine menſura ſe communicat Apoſtolis: illi non ſolum viſitantur, afflantur, moventur a Spiritu ſancto, quemadmodum alibi Scriptura exprimit gratiæ operationes, ſed eodem replentur. Quorſum hoc? quia Deus illos deſtinabat muneri, quod nil minus requirebat, quam hanc Spiritus ſancti plenitudinem, ut feliciter eodem perfungerentur. Agebatur enim Mundi totius converſio. Quod opus aggrediendum, & ad finem perducendum! Hoc noſtis auditores; Mundus, cum quo nobis pugnandum eſt, fortis eſt armatus ille, qui jampridem ſe ipſum tuetur, & nihil prætermittit, quod habet induſtriæ, verſutiæ, & nequitiæ, ut in injuſta, quam ſibi uſurpavit, poſſeſſione perſeveret. Oportebat igitur, ut Spiritus

tus ſanctus, qui hunc debellaturus acceſſerat per miniſterium Apoſtolorum, affluenter ſuper illos effunderet omnia lumina, omnem Sanctitatem, & fortitudinem, qua indigebant hujuſmodi victoriam reportaturi. Hinc profecta eſt illa gratiarum plenitudo, qua cumulati fuerunt; *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui.*

Plenitudo, quæ nobis prodeſt ad tres præcipuos effectus oppoſitos tribus obicibus, quos Deo Mundi ſpiritus opponit. Fideles attendite, hinc enim fient tres Sermonis hujus partes. Mundus ſeductor eſt, qui pulcris ſpeciebus fallit ſpiritus maxime perſpicaces. Deerat Apoſtolis, unde ſe tuerentur ab hoc ſpiritu illuſionis: oportebat ergo, ut Spiritus ſanctus, qui Spiritus eſt veritatis, illis Mundi errores auferret, eoſque placitis æternis repleret. Mundus corruptor eſt, cujus commercium inficit morum ſanctiſſimorum puritatem. Apoſtoli non erant immunes, omnes enim peccaverant; opus erat igitur, ut Spiritus ſanctus, qui Spiritus eſt Sanctitatis, illos impoſterum præſervaret a ſæculi corruptione, eoſque in gratia confirmaret. Mundus eſt perſecutor, qui palam indicit bellum Evangelio, & ſe virtutis Tyrannum conſtituit. Hic ipſis etiam Apoſtolis terrorem incuſſerat, qui non audebant videri Diſcipuli JESU CHRISTI propter metum Judæorum: decebat ergo, ut Spiritus ſanctus, qui Spiritus eſt fortitudinis, illos contra Mundi tyrannidem confortaret. Ecce, Chriſtiani, quid agat hodierna die in Apoſtolis, & quid in ſingulis noſtrum agere velit. *Vincamus Mundum*, Sanctus Auguſtinus ait, *cum ſuis erroribus, & amoribus, & terroribus.* Triumphum agamus de Mundi erroribus, de corruptione ſæculi, & de Mundi perſecutione. Ad id indigemus

Primo, Spiritu Veritatis, qui Apoſtolis abſtulit errores ſæculi.

Secundo, Spiritu Sanctitatis, qui Apoſtolos a ſæculi corruptione præſervavit.

Tertio, Spiritu Fortitudinis, qui Apoſtolos contra ſæculi tyrannidem confortavit.

Vide Myſterium PENTECOSTES *in Tomo II. Bibliotheca Myſt. Theol.*

PRO FERIA SECUNDA

POST DOMINICAM PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit Mundum &c. Joann. 30.

I. ARGUM. De Amore, quem Deus teſtatus eſt, dans nobis Spiritū ſanctum.

NIHIL aptius eſt Auditores ad cor deliniendum, quam illud aliquo inſigni beneficio prævertere; neque medium validius ad amorem ſibi conciliandum, quam ſi prior aliquem diligas. Quapropter Eccleſia non ſolum hac die in mentem revocat extremum divini amoris conatum eo in dono, quo nobis dedit divinum Spiritum ſuum: verum etiam illum conjungit cum Verbi Incarnatione, quæ fons eſt, & principium ceterorum donorum, ut inquit Apoſtolus: *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* (Ad Rom. 8.) Quaſi vellet innuere, bonitatem, & miſericordiam Dei nequaquam exhauſtam fuiſſe, cum per immenſam caritatem dedit nobis Unigenitum ſuum; quamvis videatur nihil præterea facere potuiſſe; ſed nobis adhuc aliud munus contuliſſe, quod priori non cedit, quandoquidem hic Spiritus ſanctus æqualis eſt illi, & exhaurit fœcunditatem duarum divinarum Perſonarum, ut in nobis ciet ſenſus generoſitatis, & gratitudinis erga Deum, qui nobis omnia donavit; *Sic Deus dilexit Mundum.*

Profecto Deus jam in terram deſcenderat, ac ſe nobis ſimilem fecerat, ut nos ad ſe per hanc traheret ſimilitudinem: inde in Crucem aſcenderat, ut ille totum ſuum cruorem effunderet, nobiſque poſt mortem aperuit cor ſuum, ut nobis detegeret magnitudinem ſuæ caritatis, & videret utrum illius beneficiis afficeremur. Antequam ex hoc Mundo diſcederet ſemet ipſum in Altaris Sacramento collocaverat, ut validiores in ſpiritum noſtrum, per præſentiam ſuam, impreſſiones efficeret: verum quemadmodum cor hominum nondum victas dederat manus; ecce conatus extremus, & extrema ſui amoris profuſio, qua nobis ſuum largitur Spiritum, qui idem eſt cor ſuum, & ipſe amor ſuus. Quamobrem dico, ipſum non dediſſe nobis minus amoris teſtimonium in hoc altero munere, quam dederat in priori; in utroque enim nobis datur Deus, & nobis datur eodem conſilio, & propter finem eumdem. Ne igitur alterum ab altero ſeparemus, ſed potius conemur utriuſque comparationem inire, ut utrumque ſimul collectum inſtar duorum ignium ardentium inflamment nos puriori Caritate, ac teneriores nobis gratitudinis ſenſus injiciant. Hinc fert animus vobis oſtendere

Primo Deum non minorem nobis teſtatum fuiſſe amorem mittendo ad nos Spiritum ſuum, quam cum nobis dedit Unigenitum Filium ſuum, & de utroque dicendum eſſe, *ſic Deus dilexit Mundum.*

Houdry Biblioth. univerſ. Tom. poſtremus.

Secundo vobis conabor oſtendere pleroſque homines nihilo gratiores fuiſſe pro munere præſenti, quam pro primo fuerunt; quandoquidem Divinum hunc Spiritum non minori excipiunt contemptu, contumelia, indignitate, quam Dei Filium exceperant. Hæc erit ſermonis partitio.

Primum punctum oſtendet magnitudinem Beneficii, quod adhuc ſingulis diebus accipimus.

Alterum vero modum quo noſmet illi gratos præbere debeamus.

Hoc argumentum fuſius pertractatum eſt ab Auctore pro feria ſecunda poſt Pentecoſten.

Factus eſt repente de Cælo ſonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Act. 2.

II. ARGUM. Gratiæ, & dona, quibus cumulati fuerunt Apoſtoli ſimul ac acceperunt Spiritum ſanctum.

Cum duo iſti dies non ſint, ut ita dicam, niſi repetitio quædam Myſterii, quod in Apoſtolorum gratiam adimpletum eſt, non inveni argumentum uberius, ſimulque dignius attentione veſtra, quam vobis explicare dona, quibus illabente Spiritu ſancto cumulati ſunt, quod faciendum aggredior duabus Sermonis hujus partibus.

In quarum prima referam præcipuas deſcenſus Spiritus ſancti circumſtantias, cum animadverſionibus, quæ fieri poſſunt in ſingulas, quæ ſunt. 1. Spiritus ſanctus in Apoſtolos illapſus eſt die Pentecoſtes; quæ circumſtantia nobis aperit admirabiles Legis novæ, & veteris relationes. 2. Cur divinus hic Spiritus cum magno fragore deſcenderit, & inſtar flatus vehementis; quid in hoc valeat animadverti. 3. Apoſtoli, & Diſcipuli in Cœnaculum ſe ſe receperunt, expectantes donec Spiritus ſanctus dilaberetur. 4. Cur illapſus fuit ſub ſymbolo ignis, & in Linguæ ſpeciem. 5. Cur Spiritus ſanctus tanta cum luce deſcendit, & cur ſtrepitus in totam Jeroſolymæ civitatem ſe effudit. Quæ omnes circumſtantiæ narrari poſſunt non ſine animadverſionibus, ad erudiendum, & ædificandum appoſitis.

Pars altera complectetur ſigna per quæ cognoſcere poſſumus, utrum in partem incomparabilis hujus beneficii acceſſerimus. 1. De hoc judicium ferre poſſumus ex mutatione, quam Spiritus hic operatus eſt in oculi ictu in Spiritu, & corde Apoſtolorum: & perpendere, utrum nos quoque ſimiliter fuerimus immutati. 2. *Apoſtoli omnes repleti ſunt Spiritu ſancto:* (Act. 2.) Cumque hic Spiritus Dei ſit Spiritus Sapientiæ, & intellectus, conſilii, & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis; ſitque inſeparabilis a timore Dei, qui extrudit alium quemlibet timorem, noſmet debemus colligere, & videre, utrum per hæc lumina, & placita operemur, & utrum hæc ſit regula vitæ noſtræ. 3. Apoſtoli Spiritu ſancto repleti in omnem terrarum orbem ſe ſe contulerunt, teſtimonium perhibuerunt Filio Dei, audacter ſe JESUM CHRISTUM ſequi profeſſi ſunt citra metum mortis, & ſuppliciorum, ac tandem divino hoc igne ſuccenſi fidem in omnes orbis plagas pertulerunt. Profecto ſicuti cauſſa non cognoſcitur niſi ex effectibus, quos gignit; ſi nihil experimur in nobis, ex quibus indiciis cognoſcere poſſumus, utrum ipſi Spiritum ſanctum receperimus?

Omnes hæ circumſtantiæ invenientur in Tomo II. Bibliothecæ Myſt. Theolog. in Myſterio; DESCENSUS SPIRITUS SANCTI.

Factus eſt repente ſonus &c. Act. 2.

III. ARGUM.

Pro Sermonis argumento, ac partitione illud aſſumi poteſt, quod Sanctus Thomas docet in quodam Opuſculo, Spiritum ſanctum animæ juſtæ tribuere illa tria, quæ anima tribuit corpori, quæ ſunt vita, ſenſus, & motus; ita Divinus Spiritus, quem Sancti Patres vocant animam animæ noſtræ, tribuit illi

Primo vitam ſupernaturalem gratiæ, & caritatis, quæ conſtituit nos filios Dei, confert nobis jus ad hæreditatem illius, efficitque, ut digne ſtatus noſtri obeamus officia.

Secundo ſenſum, & guſtum rerum divinarum, & cæleſtium veritatum, quas nobis annuntiat, & quæ faciunt, ut perhorreſcamus quidquid in Mundo æſtimatur, voluptates, ſolatia, ſæcularia colloquia, & demum alia placita, quæ nos in exitium, æternamque mortem deducunt.

Tertio motum verſus Deum, non niſi propter illius gloriam agentibus, & unum illum reſpicientibus in omnibus actionibus noſtris, & illum conſiderantibus tamquam principium, & noviſſimum finem rerum omnium.

Vide idem Myſterium DESCENSUS SPIRITUS SANCTI *in Tomo II. Bibliothecæ Myſt. Theol.*

PRO FERIA TERTIA
POST PENTECOSTEN.

Amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde: Ille fur eſt, & latro. Joann. 10.

I. ARGUM. Submiſſio debita ſententiis Eccleſiæ.

De Eccleſia verba facit Jesus Christus in hodierno Evangelio. Etenim quiſnam, amabo vos, hic eſt Paſtor? Quænam ſunt oves audientes vocem hujus Paſtoris, & fugientes alienum ad eas accedere volentem? Quodnam hoc oſtium, aditum præbens in ovile? Quid intelligitur per hæc paſcua opima, & fertilia, quibus Paſtor oves ſuas paſcit? Denique quid ſibi vult Dei Filius, cum aſſerit ſe oſtium eſſe, per quod in ovile aditus patet, & eum qui aliunde venit, & alium quærit introitum, furem eſſe, ac latronem, neque illi aliam eſſe mentem, niſi perdendi, atque mactandi oves ſuas.

Sed ut hæc veritas intelligatur notandum eſt per adventum Spiritus ſancti proprie Eccleſiæ nativitatem initium duxiſſe ex adventu Spiritus ſancti, quo die tota congregata erat in Cœnaculo, quo Fideles omnes convenerant, ut ſe ſe ad illum recipiendum diſponerent. Deſcendit ille ſub viſibili ſpecie, ut noſtis, in eorum ſingulos in formam lucis, & ignearum linguarum, quæ mentes eorum illuſtraverunt, atque eorum corda divino ardore inflammaverunt. Profecto Dei Filius jam Apoſtolos ſuos acciverat, & per eorum electionem jecerat fundamenta hujus Eccleſiæ, cujus volebat, ut unus ex illis Caput eſſet, & viſibilis Paſtor: ſed non ignoratis, Spiritum ſanctum illi formam, extremamque manum adjeciſſe; tunc enim finem accepit lex Antiqua, & Nova duxit exordium; Tunc Apoſtoli Spiritu ſancto repleti, poſtquam Jeroſolymæ prædicaverunt admirabili cum eventu, partiti ſunt zelum ſuum, ac ſe ſe effuderunt in omnes Gentes, ut quocumque ferrent lumen Evangelii ſecundum prophetarum vaticinium, & imperium, quod acceperant a Jesu Christo. *In omnem terram exivit ſonus eorum. Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ.*

Conſtat etiam futurum fuiſſe ut magnum hoc Corpus ex tot partibus compoſitum, & in omnia Regna terræ diviſum tandiu ſubſiſtere non poſſet inter tot inimicos, qui illud oppugnarunt, ac tot perſecutiones, quæ illi perferendæ fuerunt, niſi hic idem Spiritus Dei, quo animabatur, illud tutatus fuiſſet, & non collegiſſet omnes illius partes fidei ejuſdem vinculo, quod ad hanc uſque diem unam conſtituit Eccleſiam ſub regimine Capitis ejuſdem. Hujus autem Eccleſiæ, cui præeſt Spiritus veritatis primam hanc eſſe dico prærogativam, quæ extra Eccleſiam non invenitur, & quæ certiſſime invenitur in ea; quod exigit a nobis perfectam ſubmiſſionem propter omnes Veritates, quæ pertinent ad Fidem.

Videlicet dico, Fideles cum Divinus hic Spiritus ſit Spiritus luminis, & Sanctitatis, ipſum utramque hanc Veritatem Eccleſiæ communicare, cujus ille regimen ſuſcepit poſtquam Salvator terram reliquit, dico inquam partem illius eſſe veritatem, & ſanctitatem, ita ut

Primo ſenſus, & deciſiones illius, ubi de fide ſermo eſt, ſit vox a nobis audienda, ad hoc, ut ſimus in Ovili Filii Dei.

Secundo, Regulæ morum, quas nobis præſcribit, ſint illud exemplar, ſecundum quod vitam noſtram debemus componere ad hoc ut recte vivamus. Hæc erit Sermonis hujus partitio.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: Ecclesia.

Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio veſtri. Ezech. 29.

II. ARGUM. Deus pollicetur ſe daturum populo ſuo cor novum & ſpiritum novum.

Olim pollicitus eſt populo ſuo Deus in lege veteri, ſe daturum illi cor novum, & ſpiritum novum; alterum ut eſſet principium affectuum, & votorum illius; alterum vero cogitationum, atque conſiliorum. Sed ecce promiſſionis hujus fides præſtita in lege nova, vel potius, ecce nova lex, quæ incipit præſtans fidem promiſſionis: videlicet ecce Adventus Spiritus ſancti, qui omnino mutat corda, & ſpiritus hominum; quandoquidem cum eſſent terreni, & carnales, facti ſunt Sancti, qui omnes cogitationes, deſideria, & ſpes verſus æterna bona in Cælum attollunt. Quemadmodum hic finis erat adventus Spiritus ſancti ſuper terram, ita hic primus, & maximus illius eſt effectus; oportebat enim hominem reformare, quem peccatum ab ipſis Mundi primordiis præverterat, atque corruperat. Incipit igitur Spiritus ſanctus reparare haſce duas præcipuas facultates, cor, & ſpiritum hominis, quarum perturbatio adeo univerſale malum pepererat. Hinc ille in Scripturis vocatur Spiritus veritatis, & luminis, quippe quod invertere debet omnes, & fallaces ideas, quas ante habebamus. Mox venit tamquam ignis ad nos inflammandos amore prorſus divino, qui nos a terrenis avellat affectibus, ut verſus bonum ſupremum convertat. Vel ſi mavultis, quemadmodum venit laturus in terram legem novam, quæ veteris finem facit, ut incohet Evangelicam; oportuit ipſum hominibus dare

Primo Cor novum.

Secundo Spiritum novum, ut illos induceret ad eam ſequendam, & amplectendam. Hi duo ſunt effectus adventus illius, eruntque partes duæ hujus ſermonis.

Vide illapſum Spiritus Sancti in Apoſtolos in Tomo II. Bibliothecæ Myſt. Theol.

Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, Act. 2.

III. ARGUM. Spiritus ſanctus eſt Spiritus veritatis, fortitudinis, & ſanctitatis.

Quam maxime intereſt cognoſcere quinam ſit hic Spiritus, quem Dei Filius Apoſtolis pollicitus eſt, & quos effectus ſit operaturus in nobis, ne ſimiles ſimus illis Diſcipulis, quos Sanctus Paulus Epheſi invenit, qui Apoſtolo ſciſcitanti, utrum recepiſſent Spiritum ſanctum ingenue reſponderunt, ſe ne audiviſſe quidem, Spiritum ſanctum adeſſe. Quam plures hodierna die ſunt Chriſtiani, qui cum ſummo Chriſtianiſmi probro, & dedecore in eadem ignorantia verſantur, & fortaſſe adhuc criminoſiore; Quapropter noſtrum eſt illos erudire non ſolum quid ſit Spiritus ſanctus in Trinitate; verum etiam quid ſit habita noſtrum ratione; quid in nobis producere debeat, cur ad nos miſſus fuerit, quid facere debeamus ad illum recipiendum, & unde conjicere poſſimus, utrum receperimus illum. Ad id vobis oſtendere volo, Spiritum hunc, cujus Apoſtoli primitias, & plenitudinem pro ſe receperunt, & data proportione pro nobis, Spiritum eſſe Veritatis, Spiritum Sanctitatis, Spiritum Fortitudinis.

Primo Spiritus eſt Veritatis; quia nos replens luminibus ſuis, nos docet omnem veritatem.

Secundo Spiritus eſt Sanctitatis; quia ſe ſe nobis conjungens deſtruit in nobis quidquid oppoſitum eſt Sanctitati.

Tertio Spiritus eſt Fortitudinis; quia nos pares efficit omnia faciendo, & omnia perferendo propter Deum inſpirans nobis vitam ſupernaturalem, & robur majus omnibus difficultatibus. Qualitates Spiritus ſancti ſunt, quæ nobis exhibentur per hunc myſticum ignem, ſub cujus ſymbolo datus fuit Apoſtolis; Ignis enim habet facultatem illuminandi, purificandi, & calefaciendi; quæ tres, habita noſtrum ratione, ſunt proprietates Spiritus Dei: tamquam Spiritus Veritatis, nos illuminat; tamquam Spiritus Sanctitatis, nos purificat; tamquam Spiritus Fortitudinis nos animat. Tamquam Spiritus veritatis elevat, & perficit Spiritus noſtros; tamquam Spiritus Sanctitatis reformat, & mutat corda noſtra; & tamquam Spiritus Fortitudinis movet omnes facultates noſtras per zelum, quem excitat in nobis, cum vult nos ad majorem Dei gloriam operari.

Vide Myſterium idem eodem in loco.

IN FESTO

SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Matth. 28.

I. ARGUM. Nihil ſubliomiorem nobis adſtruit ideam Chriſtianæ Religionis quã Sanctæ Trinitatis Myſterium.

Si Hominis proprium eſt, & una ex rationibus, quibus animarum noſtrarum immortalitas probatur, habere Religionem; verum quoque eſt dicere, Religionis eſſe proprium attollere ſpiritum, & cor Hominis inſpirando illi ſenſus dignos divinitate, & componendo mores illius ad normam earum veritatum quas docet: qua in re Chriſtiana Religio præſtat ſectis omnibus, quæ unquam extiterunt. Verum cum Religionis hujus fundamentum ſit adorabile Trinitatis Divinarum Perſonarum Myſterium, cujus Myſterii fides proprie nos Chriſtianos conſtituit, & cujus cognitio omnino eſt neceſſaria, ut ſalvemur; in hoc unice immorari mens eſt in hujus feſtivitatis celebratione adnitendo, non quidem illud explicare vobis, quippe infinite excedit vires Spiritus noſtri, ſed tantum duplicem vobis perſuadere veritatem, quæ totam ſermonis partitionem conſtituent.

Harum

Harum prima eſt, nihil nobis ſublimiores de Deo ſenſus adſtruere, quam Myſterii hujus incomprehenſibilitatem, & in hac ſitam eſſe noſtræ Religionis excellentiam.

Secunda eſt, nihil vehementius nos ad hunc Deum amandum, eique deſerviendum impellere, quam quod ratio ſuffulta fidei luminibus nobis aperit de hoc eodem Myſterio; cumque duo hæc ſint finis Religionis, erunt quoque hujus Sermonis diviſio.

Pars prima. Dico, cognitionem, quamvis confuſam, & craſſam, quam hujus Myſterii fides tribuit, ſubliomiorem, nobilioremque adſtruere nobis ideam divinæ hujus Majeſtatis, quam ea ſit, quam in hac vita habere poſſimus per omnes ratiocinationes, & omnes conatus humanæ mentis. Licet enim aſſequi non poſſimus, quomodo Deus in tribus perſonis ſubſiſtat, immo in hoc multæ occurrant oppoſitiones, quas ſpiritus noſter excitare non valet, audeo tamen dicere hanc eamdem incomprehenſibilitatem, melius efficere, ut illius magnitudinem aſſequamur. Primum, quia ſic illam aſſequi poſſemus, & ſi Deus quamvis infinitus, ſpiritus noſtri caput poſſet contineri, ille profecto magnus non eſſet; quandoquidem ſeptum non admodum ingens eſt, neque valde profunda penetratio: ſed ſcire, omnia creata, omneſque beatas mentes ſimul collectas illuc nequaquam pertingere poſſe; hoc ſane mihi adſtruit cognitionem nobiliorem, præſtantioremque: & ad veritatem hanc intelligendam, ac in lucem ferendam, ſatis eſt diſertis verbis exponere id, quod fides, & ratio innixæ revelationi nobis aperiunt. Ut autem id commode exponatur, plures occurrent rationes in Paragraphis Quinto, & Sexto, unde licebit inferre, Myſterii hujus incomprehenſibilitatem, nobis adſtruere nobiliorem ideam Dei, quem adoramus. Secundo ad Dei gloriam pertinet a creaturis cognoſci per ſuæ imbecillitatis confeſſionem; nam hoc eſt confiteri, nos Majeſtatis ejus fulgorem ſuſtinere non poſſe; & Myſterium hoc, quod interiorem ejus gloriam conſtituit, probationem eſſe exterioris per eam, quam nobis tribuit cognitionem licet imperfectam, cui nihil eſt comparabile. Hoc facile probari poteſt inſtituta comparatione cum populis, qui nullam habent admirabilis hujus Myſterii cognitionem, & qui nihilominus cenſuerunt opus eſſe Religione ad colendam divinitatem, quam agnoſcebant: etenim quot extiterunt errores, & variæ opiniones perſonarum alioquin bono ſenſu non carentium quoad Divinitatem? Si igitur gloria ſita eſt in perſpicua cognitione meritorum & magnitudinis alicujus, quam gloriam haurire poſſet Deus ex cognitione, cum humili, tum falſa Majeſtatis ſuæ, ſuarumque divinarum perfectionum? Sed poſt hujus Myſterii revelationem, tunc homines veram habuerunt ideam magnitudinis Dei, eique veram gloriam tribuerunt; gloriam videlicet Patri, gloriam Filio, gloriam Spiritui ſancto &c. Tertio denique cedit in Religionis gloriam habere Myſteria ſupra rationis captum poſita, & omnimodam Spiritus ſubmiſſionem depoſcentia; & hoc admirabile eſt divinæ Sapientiæ, quæ homines ſalvos facere voluit, conſilium, eos ad cognitionem veritatis evocare per fidem, potius quam per rationem; quia non omnes pares ſunt efformandis magnis ratiocinationibus, cum e contra qui nequeat altiſſima, ac ſublimiſſima, ope gratiæ, myſteria credere, ſit nemo. Ita quemadmodum ſapientiſſimus quiſque, ubi ſecutus eſt rationis ſuæ lumina, aberravit, & evanuit in ſuis cogitationibus, ſicuti teſtatur Apoſtolus; viſum eſt Deo aliud ſequi conſilium, trahendi videlicet homines per fidem potiſſimum hujus Myſterii, quod eos credere jubet ea, quæ illorum rationem ſuperant, immo etiam illi in ſpeciem adverſantur.

Pars ſecunda. Cum aliquando perfecte beati futuri ſimus per intuitum trium adorabilium Perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis; ita in hac etiam vita Sancti erimus eaſdem amantes. Volo autem vobis oſtendere, hoc ipſum Myſterium complecti validiſſimas hujus amoris cauſſas; quoniam 1. non aliunde melius intelligere poſſumus quantopere Deus prior amavit nos, quoniam creavit nos ad imaginem ſuam, & videntur tres illæ Perſonæ certatim ſtuduiſſe quomodo ad vivum exprimerent ſimilitudinem ſuam in nobis cum in natura, tum in gratia. 2. Nihil melius oſtendere beneficia, quæ ab illo percepimus, quam illa percepiſſe a ſingulis trium Perſonarum in particulari. 3. Nihil melius nobis aperire amabilitatem, & perfectiones Dei, quam hujus Myſterii revelationem.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Myſt. Theolog. Titulum: Trinitas.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Matth. 28.

II. ARGUM. In Myſterio Sanctæ Trinitatis, ſicut ab Eccleſia explicatur, continetur quidquid Chriſtianus ad ſalutem credere, & facere debet.

Quemadmodum per hoc Myſterium Chriſtiani ſumus, duo prorſus neceſſaria ſunt ad obeunda hominis vere Chriſtiani officia; ſcilicet bene credere, & bene vivere; ſi enim deſit alterutrum, Chriſtianus, qui rationis uſum habet, nunquam perveniet ad ſupremam beatitudinem, quam nobis Religio Chriſtiana pollicetur. In hoc autem adorabilis Trinitatis Myſterio duo eximia Chriſtianiſmi continentur officia.

Houdry Biblioth. univerſ. Tom. poſtremus.

Primum hoc Myſterium, ſicuti illud exponit Eccleſia, & quemadmodum a nobis eſt intelligendum, redigitur ad credendum: 1. unum eſſe Deum, & mox fides, & ratio nos docent, quænam idea, & quis ſenſus habendus ſit de illius bonitate, juſtitia, poteſtate, providentia, & iis, quæ in multis fidei noſtræ articulis continentur. 2. Deum hunc unum in eſſentia ſubſiſtere in tribus Perſonis, quarum una non eſt alia; & quamvis tres ſimul ſine diſcrimine conferant ad nos ſanctos, & deinde in æternum beatos efficiendos, ſcimus per appropriationem tribui Patri Creationem, redemptionem Filio, & Spiritui ſancto ſanctificationem; & deinde id, quod nos docet fides de Incarnatione Verbi, & mediis ad Salutem comparandam, quæ Filii merita, & Spiritus ſancti gratiæ nobis procurant. Ita hoc Myſterium, quod Fundamentum eſt ceterorum, continet in compendio, vel potius eminenter complectitur, quidquid credendum eſt Chriſtiano.

Secundo præterea nos erudit de iis omnibus, quæ facienda ſunt, & de eo modo, quo nobis vivendum eſt, ut ſimus veri Chriſtiani. Ut de hoc nobis perſuaſum ſit, meminiſſe debemus, Myſterium, quod colimus, complecti duo, quæ diximus eſſe præcipua fidei noſtræ, & adorationum noſtrarum objecta, ſcilicet unitatem eſſentiæ Dei, & Perſonarum Trinitatem. Hoc poſito, duo etiam eſſe debent ſubjectum noſtræ imitationis, & regulæ eorum, quæ a nobis ſunt facienda, ut ſimus veri fideles. Primum imitari debemus adorabilem hanc Unitatem per unionem caritatis Chriſtianæ; hoc enim Salvator cupiit, & petiit a Patre, ut fideles unum ſint inter ſe, quemadmodum tu, & ego ſumus unum. Secundo Caritatem noſtram perfectam reddere debemus imitantes fœcundam hanc communicationem, quæ inter Divinas perſonas invenitur: videlicet, ut ſicut Pater Filio ſuam communicat naturam, & quidquid habet, & quidquid eſt præter Paternitatem ſuam, quæ eſt incommunicabilis; & ſicut Pater & Filius ſibi communicant quidquid habent perfectionum communicabilium; ſimiliter verus Chriſtianus in partem vocare debet fratres ſuos per caritatem liberalem bonorum quæ recepit a Deo, non ſine conditione illa ſuper eos effundendi.

Vide eoſdem locos Bibliothecæ Myſt. Theol.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Matth. 28.

III. ARGUM. Quid exigat a nobis adorabilis hujus Myſterii cognitio.

Deus revelavit nobis Auguſtiſſimæ Trinitatis Myſterium triplici ex cauſſa. Primum, ut nobis hoc ipſum detegeret Myſterium, antea ignotum, & ignoratum fere ab univerſo Mundo. Secundo, ut nobis oſtenderet beneficia, quæ inde accepimus. Tertio, ut nobis palam faceret perfectiones, quas in ſe continet, & nos ad eas imitandas impelleret. Aperuit nobis Myſterii hujus veritatem, ut illud credere teneremur; Oſtendit nobis ea, quæ accepimus beneficia, ut gratum animum profiteremur: denique declaravit omnes perfectiones ſuas, ut illas imitaremur. Ex tribus hiſce cauſſis tres haurimus ad eruditionem noſtram propoſitiones.

Primo nobis hujus Myſterii veritatem revelavit; ideo tenemur illi facere fidei, & intellectus noſtri ſacrificium.

Secundo aperuit nobis beneficia, quæ accepimus, ut faciamus illi ſacrificium memoriæ noſtræ per jugem grati animi ſenſum.

Tertio expoſuit nobis ſuas perfectiones tamquam objectum imitationis noſtræ; ideoque debet exercere imperium in cor noſtrum, & noſtram voluntatem. Quæ tres erunt partes noſtri Sermonis.

Vide locos ſuperius memoratos.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Matth. 28.

IV. ARGUM. Fructus quos percipimus ex ſublimi hoc Myſterio adeo abſcondito.

Hoc Sanctæ Trinitatis Myſterium duplici modo reſpicere poſſumus, vel tamquam Myſterium tenebrarum, & caliginis; quia Scriptura, quæ illud nobis revelat, ſimul etiam tegit illud, tamquam impenetrabile, & poſitum ultra captum ſpirituum noſtrorum; vel tamquam Myſterium lucis, & fulgoris, quia ejus revelatio nobis propoſita, palam nobis oſtendit divitias bonitatis, & amoris Dei erga homines. Sed ex hoc, ſeu lucis, ſeu obſcuritatis Myſterio duo ingentia bona percipimus.

Primo ex illius caligine, ejus aſſequimur magnitudinem, quia ſuper captum noſtrum ſitum eſt, & quomodo vetus quidam Chriſtianus Auctor inquit loquens de Philoſophis, qui Dei naturam cognoſcere voluerunt ſolo rationis lumine, nunquam nobiliorem cognitionem illius aſſecuti ſunt, niſi cum abjecerant ſpem omnem illius cogno-

Minutius Felix in Octavio.

gnoſcendi. *Majeſtatem Dei, intelligendi deſperatione ſenſerunt.*

Secundo ex fulgore, & luminibus, quæ hoc Myſterium attulit Mundo illum recenti hac illuminans cognitione; oſtendit quippe bonitatem quam erga nos habuit Deus. Horum alterum poſcit ſpirituum noſtrorum ſubmiſſionem, alterum vero cordium noſtrorum gratitudinem.

Vide locos eoſdem.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Matth. 28.

V. ARGUM. Contra Atheos negantes Dei exiſtentiã. Prov. 25.

Hæc verba ſunt, per quæ Auguſtiſſimæ & adorabilis Trinitatis Myſterium nobis revelatum fuit. Myſterium quod totius Religionis noſtræ fundamentum eſt, & quod credendum eſt nobis, quin illud altius penetrare velle audeamus; nemo enim id audere poteſt, quin pondere gloriæ, & divinæ Majeſtatis obruatur. *Scrutator Majeſtatis opprimetur a gloria.* Quidquid fides nos docet, eſt, Deum qui unus eſt, & cujus eſſentia dividi, & multiplicari non poteſt; tamen ſubſiſtere in tribus Perſonis eamdem habentibus naturam, eſſentiam, & poteſtatem: ita ut cum hoc Myſterium ſit extra captum mentium noſtrarum, omnis humanus intellectus ſubjici debeat jugo fidei, ut loquitur Sanctus Paulus.

Fateor igitur, Chriſtiani, cum hoc Apoſtolo, Deum in beata æternitate habitare lumen inacceſſibile, eſſe abyſſum interminabilem, Oceanum ſine littore, cujus ſummi Entis nullus ſermo exæquare valeat excellentiam & ſublimitatem; & intellectus noſtros nimis imbecilles, ac infirmos eſſe ad ſuſtinendam tot luminum lucem. Ita quæſtionem hanc, quid ſit Deus? penetrare non conor, cum illam fatear infinite majorem humano intellectu; ſed in hac immoror veritate, quæ ad captum noſtrum magis accedit: Eſſe Deum.

Hoc argumentum vobis mirum eſſe non debet ſi animum advertitis corruptioni morum temporis hujus, & impietati ſæculi noſtri, quod genuit tot Atheos, & Impios, in quibus vitium jugulavit omnem Religionis ſenſum, & ipſam fidem Supremi hujus Entis. Tandem enim Impietas ad hunc uſque exceſſum pervaſit, ut quin celet ſenſus adeo execrabiles, non deſint qui illos palam præſeferant. Et audeo dicere, ſi leges illos minime deterrerent, palam hoc in gymnaſiis docerent, ac profiterentur, quod miſetrime nuper factitatum cognovimus. Per vos igitur mihi liceat hac die cultui unius Dei in Tribus Perſonis dicata, conari eorum impietatem confundere, qui non ſolum renuunt hujus Myſterii veritatem agnoſcere, verum etiam contendunt divinitatem de terris exturbare, & ſubvertere fidem, quam Deus ipſe impreſſit in penetralibus cordis noſtri. Sed nihil facilius eſt, quam oſtendere, Atheos, & Libertinos qui ad hunc impietatis exceſſum pervenerunt, ut prorſus Dei Fidem, omneſque Religionis ſenſus jugularent, eſſe damnatos:

Primo ad Tribunal Naturæ, cujus vocem audire nolunt, & in qua creata omnia enarrant unum eſſe Deum, quamvis illi ſecedere velint, ſuffragiumque ſuum adjicere abnuant.

Secundo ad Tribunal conſcientiæ ſuæ, interius probantis adeſſe Supremum Judicem, & criminum ſuorum ultorem.

Tertio ad Tribunal Dei ipſius, qui propter aſſertas eorum difficultates non ideo minus eorum eſt Dominus, nec minus omnem vitæ ipſorum rationem obſervat. Cumque probatum fuerit illos inexcuſabiles eſſe, ille tandem ſe cognoſcendum præbebit, efficiendo, ut æternos experiantur effectus ſuæ poteſtatis, atque juſtitiæ.

Vide in Tom. I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: ATHEI.

IN FESTO

CORPORIS CHRISTI.

Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus. Joann. 6.

I. ARGUM. De præſentia realis Corporis CHRISTI in Sacramento Altaris.

CUM ſenſus reverentiæ, timoris, & amoris, quos nobis inſpirat adorabile Sacramentum Altaris, innitantur in certa fide, Corpus, & Sanguinem Filii Dei vere in illo contineri, ne mirum videatur vobis Fideles me hodierna die velle confirmare vos in hac fide, & vobis perſuadere præſentiam realem Corporis hujus, & Sanguinis, quod omnibus diebus adoramus, & quo per intervalla paſcimur, ac nutrimur. Fateor equidem, cum ſermo habendus mihi ſit apud Fideles, a quibus orthodoxi tantum ſenſus foventur, fortaſſe opportunius futurum hanc ſupponere veritatem tamquam indubiam, & potius incumbere ad cor captivandum, quam ſpiritum, præſertim cum Noſtræ Religionis Myſteria adeo validis probata ſint argumentis, ut inutile videatur rationes aſſerre, ex quibus fere novæ dubitandi cauſſæ ſuboriuntur; quin auferantur, & diſſipentur illæ, quæ diſſipandæ aſſumuntur.

Verum, cum poſt Arianiſmum, qui prope fuit, ut eriperet Salvatori divinitatem, & qualitatem Unigeniti a Patre; conſtet, nullum uſpiam errorem fuiſſe, qui Chriſtianam Religionem periculoſius oppugnaverit in re magis eſſentiali; neque pertinacius propugnatura fuiſſe illo, qui conatus eſt nobis auferre realem, & veram Corporis ſui præſentiam in Euchariſtia: aſſeri etiam poteſt nullam fuiſſe veritatem majori cum zelo propugnatam, & in qua veri Eccleſiæ Filii magis crederent ſua intereſſe cuſtodire Patris ſui Teſtamentum; & nullam extitiſſe diſputationem, in qua adhibuerint ſolidiora argumenta, & plura ſcripſerint volumina.

Ego quoque adjicere volo vocem meam quantumvis exilem, ut velificer zelo, qui hodierna die tot animat Concionatores non tam ad extinguendas reliquias erroris adeo execrabilis, quam ad vos confirmandos in Catholica fide de reali præſentia Dominici Corporis in diviniſſimo Sacramento. Verum cum impoſſibile futurum ſit unico ſermone complecti rationes, ac teſtimonia, ex quibus compoſita fuerunt tot volumina, ego me coarcto ad unam Scripturam Sanctam, ad quam adverſarii noſtri confugiſſe videntur, coacti nobis permittere cetera, obruti pondere auctoritatis Sanctorum Patrum, traditione fidelium omnium, deciſionibus Conciliorum, & univerſali totius Eccleſiæ conſenſu. Quemadmodum igitur non admittunt, niſi Scripturam pro norma fidei ſuæ æque in hoc articulo, ac in aliis, de quibus inter illos, ac nos minime convenit: lubenti animo hanc accipio conditionem, & jam inter nos conſtat de genere armorum, & de judice noſtræ controverſiæ. Unam dumtaxat conditionem poſco, quæ ita æqua eſt, ut mihi negari non poſſit, videlicet ut ſibi non arrogent facultatem, quam in ceteris ſibi vindicant detorquendi ſenſum verborum Bibliorum, vel illa ad arbitrium explicandi; quandoquidem hoc idem eſſet, ac nullum omnino habere judicem, vel unum habere, cujus liceret illis explicare verba in ſuum ſenſum, atque utilitatem.

Cum igitur de hac re conſtet; animadverto Salvatorem tribus diverſis in locis de hoc auguſto Sacramento verba feciſſe.

Primo in capite 6. Sancti Joannis, antequam inſtitueret hoc Sacramentum.

Secundo in tribus aliis Evangeliſtis, cum illud inſtituit.

Tertio denique apud Sanctum Paulum in prima ad Corinthios epiſtola, poſt illius inſtitutionem. Primus locus continet promiſſionem dandi nobis Corpus ſuum; Alter continet promiſſionis hujus executionem; Tertius vero, uſum Sacramenti hujus faciendum. Hæc diſtinctio, Auditores, omnino neceſſaria eſt argumento, & quæſo a vobis, ut illi animum advertatis; quia quod infertur, vel quod inferri poteſt ex locis, in quibus explicite ſermo non eſt de Euchariſtia, officere nequit perſpicuis, explicitis, & formalibus verbis, quæ adhibita ſunt in promiſſione, qua CHRISTUS recepit, ſe nobis illud daturum in ipſa inſtitutione ſua, & in uſu, propter quem illud inſtituit. Inde enim ſpero futurum, ut hauriam invictas probationes realis hujus præſentiæ; & id quod Sermonis hujus partitionem conſtituet.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Myſt. Theol. quid ſcriptum ſit de hoc Myſterio.

Caro mea vere eſt cibus; Sanguis meus vere eſt potus. Joann. 6.

II. ARGUM. Bonitas, potentia, & ſapientia Dei in hoc Sacramento.

Quemadmodum Deus eſſentialiter perfectus eſt in ſeipſo, tribuit omnibus effectibus perfectionem, quam poſtulant natura operum ſuorum, & gloria Auctoris eorum. *Dei perfecta ſunt opera.* Opus abſolutiſſimum bonitatis, & Sapientiæ Dei eſt JESUS CHRISTUS Deus, & homo; ſed dici poteſt opus abſolutiſſimum JESU CHRISTI eſſe Euchariſtiæ Sacramentum; & hoc eximium eſſe ſpecimen trium perfectionum ipſius.

Primo bonitatis, quia hæc una illum impulit, ut ſe nobis daret in hoc divino Myſterio, cum non meritum noſtrum, neque ulla alia conſideratio ipſum illexerit.

Secundo abſolutiſſimum opus potentiæ ſuæ; quandoquidem in alio nullo operum ſuorum oſtendit tot, & adeo aſſidua prodigia; & dicere poſſumus cum Propheta, *Memoriam fecit mirabilium ſuorum.*

Tertio eſt etiam abſolutiſſimum opus, & mirificum inventum Sapientiæ ſuæ, quæ adinvenit modum non ſolum permanendi cum nobis, verum etiam in nobis, & ſe in eum ſtatum adduxit, in quo admirabile conſilium ſuum exequi poſſet.

Vide locum ſuperius memoratum.

Hoc

Hoc facite in meam commemorationem. Luc. 22.

III. ARGUM. De Sacrificio Miſſæ, merito, & fructu qui inde percipitur.

His verbis innititur poteſtas admirabilis, quam receperunt Apoſtoli offerendi magnum Chriſtianæ Religionis Sacrificium: ita ut ſicuti verba quibus Dei Filius divinum hoc Sacramentum inſtituit, re ipſa practica fuere, & efficientia mutationem ſubſtantiæ panis, & vini in ſubſtantia Corporis, ſanguiniſque ſui; ita hæc alia verba *Hoc facite*, converterunt Apoſtolos ejus in totidem Sacerdotes novæ legis, illiſque contulerunt veram poteſtatem ponendi, & offerendi in Altaribus noſtris idem Corpus, eumdemque Sanguinem in Miſſæ Sacrificio. Hoc ipſum ſignificat verbum *facite*, quod in linguis omnibus Hebraica, Græca, & Latina habet vim eamdem, & ſignificationem. *Hoc facite*, videlicet ſacrificate, ſicut ego facio, quaſi diceret; amor, quo vos complector, fecit, ut præverterem mortis meæ ſacrificium me ipſum immolans manibus meis: verum in hoc caritatis exceſſu non acquieſco; illum inſtaurare volo in manibus veſtris in ſæcula; quamobrem vobis poteſtatem impertior hoc ipſum faciendi. Hinc ſequitur, auguſtum, & adorabile Sacrificium, quod ſingulis diebus in altaribus noſtris peragitur, eſſe verum, unicumque Chriſtianæ Religionis Sacrificium, quippe quod ſubſtitutum eſt in locum Sacrificii cruenti, quod ſemel oblatum eſt in Cruce, & quod re vera idem eſt, ſed diverſimode oblatum; ſed quod illud perfectiſſime repræſentat. Sub hac excellenti idea illud vobis proponere fert animus, oſtendendo: 1. Hoc repræſentare Crucis Sacrificium; quod nobis ſublimem conceptum inſpirare debet, & cogere nos, ut cum eidem adſtamus, ſingularem illi adhibeamus reverentiam. 2. Illius omnem continet virtutem; quod nobis inſpirat parem æſtimationem bonorum, infirmorumque theſaurorum, quos in eo poſſidemus. 3. Nobis explicat illius meritum, & fructum; quod nos cogit, ut in ſtatum adducamur participes efficiendi, ac utendi incomprehenſibili bono, quod inde poſſumus haurire. Hic totus eſt ordo, & tota hujus ſermonis partitio.

Pro parte prima dico, id quod Sacrificii hujus excellentiam conſtituit, hoc eſſe, illud videlicet fuiſſe inſtitutum, ut Crucis Sacrificium repræſentaret, & illius memoriam perennaret; ubi 1. oſtendendum eſt nullam eſſe Religionem ſine Sacrificio, & Chriſtianam, cum ſit omnium Sanctiſſima, & perfectiſſima, carere non debuiſſe hac adeo eſſentiali cæremonia. 2. Crucis Sacrificium eſſe non poſſe Sacrificium perpetuum novæ Legis. Rationes diſertiſſime expoſitæ adverſus Hæreticos invenientur in Paragrapho quinto; unde inferendum eſt hoc eſſe non poſſe niſi Altaris Sacrificium; quod eſt munda illa oblatio, de qua loquitur Propheta Malachia, quæ offertur in omni loco, & quæ a Daniele Propheta vocatur *juge Sacrificium*, quod ſingulis diebus iteratur, quod Crucis Sacrificio nequit convenire. 3. Miſſæ Sacrificium ita eſſe repræſentationem Sacrificii Crucis, ut prorſus ſit idem, & ſolum differat modo, quo offertur, & differat etiam ab aliis repræſentationibus; hæc enim rem eamdem continet, cum aliæ imagines paſſim excludant realitatem ejus rei, quam repræſentant. Quibus addendum eſt, hanc repræſentationem in eo conſiſtere, quod Corpus Salvatoris per vim verborum myſtice hinc quidem conjungitur, & inde ejuſdem Sanguis, quod repræſentat realem effuſionem, quæ in Cruce peracta eſt: ex quo conjicere licet quanam cum reverentia, contritione, & pietatis ſenſu aſſiſtere deceat divino huic Sacrificio &c.

Pro parte altera. Cum hoc Sacrificium contineat virtutem omnem Sacrificii Crucis, ejuſque nobis applicet meritum, & fructum: facile eſt videre quem theſaurum nobis reliquerit Filius Dei, quam meritorum copiam inde haurire valeamus, & quem fructum ſperare. Poſſumus enim illud offerre pro nobis, & pro aliis, & pro remiſſione peccatorum, ad impetrandam finalem perſeverantiam &c. Ibi nanciſcimur fontem omnium gratiarum, & in omnibus neceſſitatibus noſtris perfugium. Itaque cum divino huic adſiſtimus Sacrificio, utiliter confugere poſſumus ad Deum hunc propter amorem noſtri immolatum, illum fidenter deprecari, & ſperare fore, ut nobis concedat quidquid ad ſalutem noſtram neceſſarium eſſe cenſuerit.

Pro parte tertia, quæ ſecundam conſequitur, oſtendi poſſunt ea bona, quæ divinum hoc Sacrificium nobis largitur. Primum medium nobis ſuppeditat placandi iram Dei, quem quotidie novis criminibus laceſſimus offerendo illi Sanguinem eumdem, qui pro nobis in Cruce effuſus eſt. Secundo illi reddere poſſumus, quantum ab illo recepimus; quoniam offerimus illi Deum ipſi parem. Tertio quotidie nos cumulat beneficiis, ſimulque præbet medium, quo illi ingrati non eſſe valeamus.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Myſt. Theol. ubi agitur de Myſterio Euchariſtiæ.

Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus. Joann. 6.

IV. ARGUM. De modo, quo divino huic Sacrificio adſiſtere decet.

Ex iis, qui ad Miſſam audiendam accedunt; Primum non deſunt, qui non habent eam cognitionem, quæ eſſet habenda. Secundo plures ſunt, qui ea carent devotione, quæ eſſet afferenda. Tertio tandem plurimi ſunt, qui illius dedecorant Sanctitatem. Primi erudiendi ſunt; Secundi hortandi ſunt, ut ædificent eos, a quibus videntur hac in actione, in qua debent ferre præ ſe pietatem, & Religionem; ac tertii denique confuſione replendi ſunt, quæ tres eſſe debent partes Sermonis.

Pro parte prima, quæ eſt erudire eos, qui carent ſcientia, quam habere poſſent magni hujus Myſterii; ſatis eſt explicare Sancti Auguſtini doctrinam de Sacrificio, ubi Deus ſimul eſt *offerens oblatum, & oblatio.* Deus offerens ſe Deo; hæc eſt Veritas Religionis; Deus dignatur ſe offerre per manus noſtras; privilegium eſt, & dignitas Religionis: De hoc erudiendi ſumus, ut magni hujus Myſterii ſcientiam habeamus.

In parte altera, quæ illos reſpicit, qui Miſſæ adſiſtentes carent ea devotione, quam habere deberent, ad hanc excitandam, & inflammandam magni illius meminiſſe debent principii, quod ſupponendum eſt in omnibus hujus argumenti ſermonibus, id quod in altaribus noſtris peragitur, fieri ad memoriam recolendam ejus rei, quæ facta eſt tempore Paſſionis Domini, quam quotieſcumque Miſſam celebramus, eique populus adſtat. Primum videtur JESUS CHRISTUS onuſtus peccatis hominum, cum in Calvarium aſcendit. Secundo videtur hic hominum Salvator expiare illorum peccata, dum Cruci ſuffixus fuit. Tertio ibi videtur applicare præſentiſſimam medicinam peccatis eorum, cum pro illis ſuum cruorem effudit. Fieri autem non poteſt, quo minus hæc omnia recolentes animo, ſaltem non aliquam habeant particulam ſenſuum, quos habuiſſet, ſi Crucis Sacrificio adſtitiſſent.

In Tertia parte facile eſt impios confundere, qui magni hujus Myſterii Sanctitatem dedecorant per immodeſtias, ſcandala, & impietates, quas ibi committunt: Satis eſt illis ob oculos ponere; Primum, peccata, quæ committunt, immediate laceſſere JESUM CHRISTUM in loco, eodemque tempore, quo Patri propter illos offertur. 2. Illos inſtaurare contumelioſiſſimas Paſſionis ejuſdem circumſtantias. 3. Illos præbere ſe indignos, qui in partem accedant meritorum, & fructuum Salvatoris, & ſibimet per impietatem conflare inevitabilem reprobationem &c.

Vide locos eoſdem, quos in ſuperiori argumento memoravimus.

PRO II. DOMINICA

POST PENTECOSTEN,

QUÆ EST INFRA OCTAVAM

CORPORIS CHRISTI.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Luc. 14.

I. ARGUM. De Frequenti Communione.

OPEROSUM non eſt, Auditores, quinam ſit hic homo, qui fecit cœnam magnam, cognoſcere. Verba hæc ſunt ſatis perſpicua, ita ut dubitare non liceat, utrum ad alium quempiam referantur, præter quam ad Salvatorem in Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Dei Filius profecto liberalis eſt homo iſte, qui efficit, ut Magnificentia ſua in hoc Myſterio reſulgeat; & convivium hoc adeo ſumptuoſum non aliud eſt, niſi quod nobis inſtruit Corporis & Sanguinis ſui.

Cœna hæc magna eſt, Auditores, ſive ſpectemus epularum, quæ miniſtrantur, qualitatem; quid enim pretioſius eſt Corpore, & Sanguine Dei; ſive numerum Convivarum; quandoquidem omnes generatim homines invitati ſunt: ſeu cœnæ ipſius durationem; quandoquidem ad finem uſque ſæculorum eſt permanſura? *Homo quidam fecit Cœnam magnam:* cujus ubi conſideraverimus ordinem, apparatum, delicias, & magnificentiam, mihi videtur de hoc Convivio dici poſſe, quod Scriptura teſtatur de illo, quod Rex Aſſuerus omnibus Aulæ ſuæ Principibus inſtruxit, *ut oſtenderet jactantiam potentiæ ſuæ.*

Hoc tamen non eſt ſolum Filii Dei conſilium, proſpexit neceſſitatibus noſtris æque ac gloriæ ſuæ; quapropter Convivium hoc non ſit raro; ſicut alia, quorum finis eſt voluptas, vel magnificentia. Convivium eſt, quod quamvis magnum ſit, non ideo minus eſt commune;

Salva-

Salvator enim ex eo facit epulum familiare animarum noſtrarum, neque ſatis eſt illi plures invitare, ſed hoc pluries facit, ut ſibi gravem fieri putet contemptum, excuſatione, & prætextu eorum, qui ab eo ſe diſpenſant, ut liquet ex hodierno Evangelio, & contumelioſam ſibi exiſtimet injuriam inferri, qua nihil ipſi antiquius ſit, quam nos frequentiſſime adhibere convivas. Hinc mihi locus aperitur hodierna die de frequenti communione verba faciendi, & oſtendendi ea commoda, quæ ex adeo ſancta exercitatione percipimus.

Ut autem alios in ſua pietate confirmem, aliis vero errorem eripiam, quidquid a me vobis dicendum eſt, redigam ad duo eſſentialia puncta, quæ in hodierno Evangelio continentur.

Primo eſt hanc eſſe ſanctam praxim, & perutile conſilium ſæpe, & digne ad ſanctam accedere communionem. Duo hæc ſeparanda non ſunt; hoc innuere vult Dei Filius in allata parabola, per hanc invitationem, quam ſæpius inſtaurat. *Miſit ſervum ſuum dicere invitatis, ut venirent.* *Luc. 14.*

Alterum eſt, excuſationes omnes, quæ plerumque prætexuntur, inanes, & inutiles eſſe, & afferri tantum ad ſovendam vitæ licentiam, quod ſignificat juſta iracundia, & comminatio hujus Patris Familias propter varios prætextus, quibus utuntur convivæ, ut ſe ſe a cœna diſpenſent, *Et cæperunt omnes excuſare, & iratus Pater Familias &c.* Hæc erit tota hujus ſermonis partitio, in quo procul a contentionibus, quæ obortæ ſunt in hoc argumento, ſpero me vobis probaturum, harum epularum uſum neque ſanctiorem eſſe poſſe, neque utiliorem; & omnes rationes, & excuſationes, quæ afferri poſſunt contra hanc ſanctiſſimam praxim acceptari non poſſe vel a Deo, vel ab hominibus, qui pii ſunt, & ſanæ mentis.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum: COMMUNIO.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Luc. 14.

II. ARGUM. Pietas noſtra nos ad frequentem Communionem debet impellere.

Quidquid majoris momenti afferri poteſt in hoc de Frequenti Communione argumento, complecti poſſumus in duarum harum propoſitionum epanodo.

Quarum prima eſt, vera Pietas nobis frequentem ſuadet Communionem.

Altera vero. Frequens Communio nutrit, & confirmat veram Pietatem.

Pro prima. Licet improbari nequeat, qui aliquando abſtinet a Communione reverentiæ cauſſa ex Divi Auguſtini ſententia; tamen confidentia, & caritas huic reverentiæ præferenda eſt, & videtur hoc aſſerendum citra quamcumque dubitationem; quandoquidem vera pietas frequentem nobis ſuadet communionem. Profecto vera pietas conſiderari poteſt ratione trium rerum, quæ Chriſtianos ad bonas actiones impellunt, 1. ad Spiritum pœnitentiæ; namque Dei Filius hodierna die non aliter ſe gerit cum peccatoribus, quam ſe gerebat, dum verſaretur in terra. Tunc invitabat peccatores pœnitentes; converſabatur cum illis, & quin illos faſtidioſe repelleret, cum illis epulabatur. 2. Spiritus Religionis, & reverentia in eo ſita eſt, ut digne accedamus. 3. Spiritus Caritatis & amoris Dei hoc nobis ſuadet, quoniam hic amor ad arctiſſimam tendit unionem.

Pro altera propoſitione. Ad veram pietatem confirmandam, tria ſunt neceſſaria: 1. obligatio, qua jubeamur; 2. ratio. 3. medium, quæ tria in frequenti Communionis uſu inveniuntur.

Vide locum ſuperius memoratum.

Homo quidam fecit cœnam magnam &c. Luc. 14.

III. ARGUM. Magnitudo, & Magnificentia convivii, a quo noſmet diſpenſare non debemus.

Dicere poſſumus, convivium, de quo hodierna die loquitur Salvator vere magnum eſſe 1. ratione illius, qui illud nobis præparavit, & nos invitat. 2. propter multitudinem convivarum, *vocavit multos.* 3. propter epulas, quæ miniſtrantur, quæ ſunt Corpus, & Sanguis Dei.

Infelicitas eorum, qui prætexunt excuſationes: *Amen dico vobis, nemo virorum illorum guſtabit cœnam meam.*

Vide locum quem ſupra.

PRO III. DOMINICA

POST PENTECOSTEN.

Quis ex vobis homo, quid habet centum oves, & ſi perdiderit unam ex illis nonne dimittit nonaginta novem, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam, Luc. 15.

I. ARGUM. Dimenſiones gratiæ Dei.

SALVATOR animarum noſtrarum exhibet nobis in hodierno Evangelio animatam hypotipoſim zeli ſui miſericordis, & infatigabilis pro ſalute Peccatorum ſub forma Paſtoris relinquentis nonaginta novem oves in ovili, centeſimam quæ in deſerto deerraverat quæſiturus. It, redit, currit interdiu, noctuque; attollit vocem ſuam, vocat illam; verbo, nullam capit requiem donec illam inveniat; & ferens præ ſe gaudium, & lætitiam convocat amicos, & proximos dicitque illis, Congratulamini mihi; quippe ovem, quam me amiſiſſe credideram, inveni.

JESUS CHRISTUS hunc Sermonem inſtituit ſe apud Phariſæos probaturus, muſſitantes eo quod illum videbant ſeptum ingenti corona peccatorum, & Publicanorum, quos non ſine quadam ſuavitate, & miſeratione excipiebat: *Erant appropinquantes ad* JESUM *Publicani, & Peccatores, ut audirent illum, & murmurabant Phariſæi,* *Ibidem.*

Quin hic ſtupor, & hæc Scribarum, & Phariſæorum murmura nos moveant, admiremur, & benedicamus amorem infinitum, & incomprehenſibilem zelum JESU pro peccatoribus, qui nobis exhibetur in cura amabili Paſtoris hujus pro ovicula deerrante.

Ut omnes homines, præſertim vero inſignes peccatores cogam ad Dei miſericordiam confugere, mens eſt illius oſtendere Magnitudinem nullis finibus coercitam, & toto Cælo majorem humana nequitia, atque miſeria, quæ ſunt ejus objectum. Quamobrem, ut mihi videtur, non poſſum æquiorem illius ideam vobis adſtruere, quam oſtendendo vobis illius dimenſiones, Sanctum Paulum ſecutus, qui hoc ipſum facit de ipſius Dei Caritate; ubi, ſi quod intereſt diſcrimen, ſpiritus noſter illud conſtituit, atque hoc nomen attribuit, quatenus bonitas hæc, & caritas infinita miſeretur miſeriarum noſtrarum, nobiſque criminum noſtrorum veniam largitur. Igitur Miſericordis hujus caritatis dimenſiones connotatæ ſunt his Pauli verbis: *Ut poſſitis comprehendere, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas & profundum.* *Ad Eph. 3.* Hæc erit Sermonis hujus partitio, quæ vobis inſpirabit ſublimes ſenſus gratitudinis, & timoris, ne hac miſericordia abutamini, ac tandem Dei patientiam fatigetis.

Prima dimenſio eſt ejus latitudo, atque extenſio, quoniam ſe extendit ad peccata omnia excogitabilia, quæ dimittit, & ad omnes peccatores, quibus recipiendis ſemper eſt parata, cum ad illam confugiunt animo diſcedendi a ſceleribus ſuis. Conſiderate, quot peccata patrata fuerint, patrenturque ſingulis diebus in Mundo; quot eorum ſpecies; qui numerus; quæ enormitas. Miſericordia Dei ad hæc omnia ſe extendit, & non exhauritur. Quot peccatorum miſertus eſt Deus; & nonne ille ipſe pollicetur ſe paratum ſemper eſſe ad miſerendum, ubicumque cum corde contrito, & humiliato ad illum confugiamus? Ille ipſe quærit peccatores inter crimina ipſorum, eos de ſceleribus avocat, eoſque, ut ita dicam, expanſis ulnis complectitur. Regius Propheta jure ſuo dicit, terram plenam eſſe Miſericordia Domini, & merito ſubdit Eccleſia; miſereri illius eſſe naturam, & characterem. Unus re ipſa Deus eſt, qui majorem exerceat patientiam cum peccatoribus, quam herus aliquis cum famulis, aut Pater cum filiis ſuis ſit habiturus.

Secunda divinæ hujus Miſericordiæ dimenſio eſt longitudo, quæ non aliud eſt, quam hæc longa patientia, quam tantopere adeo frequenter Scriptura commendat, & cui nihil par invenitur; exſpectat enim annos triginta, & quadraginta peccatores obduratos, rebelles omnibus gratiis ſuis, & indigniſſimos, qui eaſdem recipiant. Non abnuit illos ſollicitare, & ſæpe etiam ad extremam uſque ſenectutem exſpectare; patiens ab illis impune violari leges ſuas, & Sanctiſſimum Nomen ſuum blaſphemari; ita ut eos non derelinquat, ita ut illis ſemper permittat gratias, quibus adjuti reſurgere poſſint, & recentia præbeat ſalutis adminicula. Quæ miſericordia! Sed quam indigni ſunt illa, qui ſub hoc prætextu eamdem laceſſere perſeverant? & qui videntes ſe a Deo toleratos fuiſſe hactenus in flagitiis ſuis, in illis uſque ad finem perſiſtere volunt, quandoquidem Deus non alios conſtituit terminos miſericordiæ ſuæ, quam hujus vitæ finem; quamobrem ſperant ſe veniam conſecuturos; licet ſæcula integra in nequiſſimis ſceleribus perſeveraſſent.

Tertio ad dimetiendam Dei miſericordiam ſecundum illius

altitudinem conſideranda eſt ratio, qua movetur ad miſerandum peccatorum, & miſericordiam exercendam erga illos, qui aliquando ſunt indigniſſimi; hoc enim illam commendat ſupra hominum miſericordiam, quia ad id nonniſi propria movetur bonitate ſine ulla utilitate; & quin peccatores ullum habeant meritum, quod benignos Dei obtutus valeat allicere; cum nihilominus ipſe illos tanta feſtinatione perquirat, quaſi opera eorum indigeret; cum illis reddit in gratiam, una eorum flectitur lacrymula, ac ſuſpirio; eiſque omnia reſtituit jura, ex quibus exciderant. Agnoſcamus amabilem hanc bonitatem, fateamur noſtram indignitatem, gratumque animum in omnem æternitatem profiteamur. *Pſalm. 88.* *Miſericordias Domini in æternum cantabo,*

Quarto. Quamdam profunditatis ſpeciem cognoſcere poſſumus in miſericordia Dei per comparationem, quam inſtituere licet cum hominum miſericordia, quæ ut plurimum hæret in ſuperficie, & fundum non habet. Illa perfectior eſt, quæ verbis addit officia, & ſpectabile ſubſidium in urgenti neceſſitate. Hujuſmodi eſt Dei miſericordia, quæ in hoc ſenſu eſt profunda, ita ut cum Apoſtolo ipſe vocari poſſit, *Pater miſericordiarum, & totius conſolationis.* *Ad Cor. 8.* Neque contentus fuit verbis, proceſſit uſque ad effectus admirabiles. Se hominem fecit, ut nos a noſtris miſeriis liberaret: obtulit omnes vitæ ſuæ labores, mortiſque paſſiones ad obtinendam veniam criminum noſtrorum, ac nos deducendos in poſſeſſionem æternæ felicitatis, &c. Nonne igitur nobis in divina hac miſericordia confidendum eſt? Sed per quam diligenter caveamus, ne eadem per temerariam præſumptionem abutamur &c.

Vide in Tomo III. Bibliotheca Mor. Evangel. Titulum: MISERICORDIA.

Ita dico vobis: gaudium erit coram Angelis Dei, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 5.

II. ARGUM. De abuſu miſericordiarū Dei.

Magna profecto, eaque valida pro nobis, Fideles, eſt conſolatio cogitare de magnitudine Miſericordiæ Dei; & ſumma capi debemus admiratione, ubi noſtram indignitatem, & nihilum comparemus cum Suprema hac Majeſtate criminibus noſtris laceſſita. Hoc nos potiſſimum debet afficere videntes, tanta licet extiterit ingratitudo noſtra, Deum tamen non ideo ceſſaſſe, quominus quodammodo ad exceſſum uſque diligeret. Verum nequeo diſſimulare, Fideles, hunc eſſe ſcopulum, in quem plurimi ſingulis diebus allidunt, cum in conſideratione infiniti hujus divinarum miſericordiarum Oceani, homines temeraria præſumptione confidunt, atque ſub hoc prætextu in ſceleribus ſuis perſeverant.

Hæc tamen conſideratio non prohibebit, quominus vobis exponam infinitas hujus miſericordiæ divitias, quo nomine illas vocat Apoſtolus; ſed hoc fiet, cum neceſſariis præcautionibus, ne eadem abutamur; cum abuſus rerum ſaluberrimarum, ut plurimum, ſit pernicioſiſſimus. Propterea vobis connotandos præcipue proponam tres effectus æque pares mulcendis cordibus noſtris, & ſpiritibus percellendis.

Primus eſt ardor, & ſollicitudo, cum qua Deus hic bonitatis inquirit peccatores in ſcelerum ſuorum abyſſo; ſed ardor, & ſollicitudo quæ migrat in frigus, cum peccatores impunius illum læſuri per ſibi præfidentem præſumptionem bonitate illius abutuntur.

Alter eſt invicta in illis ſuſtinendis patientia, quæ tandem delaſſatur, cum peccator pertinaci animo per inanem in miſericordia illius confidentiam perſeverat.

Tertius eſt ſuavitas, & facilitas, cum qua recipit peccatores, ubi convertuntur, & ex corde ad ipſum redeunt: ſed Suavitas, & facilitas, cui comes accedit rigor inflexibilis & inexorabilis erga eos, qui lædunt eum ſub inani ſpe ſe facili negotio veniam impetraturos. Ecce, Fideles, tres conſiderationes, quæ hinc quidem idoneæ ſunt ad fovendam ſpem peccatorum converti cupientium; inde vero aptiſſimæ ad incutiendum terrorem illis, qui de Miſericordia Dei præſumentes ſub temerario hoc prætextu in peccato ſuo perſeverant. Hæc erit hujus ſermonis partitio.

Vide locos in ſuperiori Argumento memoratos.

Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram. Luc. 15.

III. ARGUM. Deſideriū, quod habet Deus Salutis peccatorum colligitur ex gaudio quo afficitur ex illorum cōverſione, & pretio, in quo habet animas eorum.

Hodiernum Evangelium, Auditores, complexum videtur fuiſſe notas omnes bonitatis, & miſericordiæ, qua Salvator Mundi uſus eſt erga peccatores. Videtur ſollicitudo, qua illos perquirit, eo uſque, ut ſuſtineat Phariſæorum probra, qui ſcandali occaſionem arripuerant videntes illum cum Publicanis converſantem. *Murmurabant Phariſæi, & Scribæ dicentes; quia hic peccatores recipit.* *Luc. 15.* Ibi non prætermittitur voluptas, & gaudium, quo afficiebatur ex pœnitentia, & converſione eorumdem peccatorum eo uſque, ut ejuſdem particeps fieri velit Cælum univerſum. *Ita dico vobis: gaudium erit ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* *Ibidem.* Animam, quæ deflexit a viis Dei, reſpicit tamquam Paſtor benignus ovem deerrantem, quam relicto grege perquirit, inventamque humeris imponit ſuis reducturus in præſepe; & denique teſtatur animas noſtras ſibi eſſe cariſſimas, qualis eſt drachma; in qua poſitæ erant omnes divitiæ pauperis mulierculæ, quæ nihil inauſum, intentatumque reliquit, neque ulli labori, & curæ pepercit, ut inveniret; ita ut ſtatim ac votorum ſummam aſſecuta eſt, lætitiam ſuam cohibere nequeat, & velit, omnes vicinas ſecum gratulari. *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.* *Ibidem.*

Per has ſimilitudines, Auditores, atque hæc teſtimonia Filius Dei nobis oſtendit quanti faciat animam noſtram, & quanti hæc ſteterit ſibi; quandoquidem nullis pepercit ſumptibus, ut illam ſalvam faceret, illam Sanguinis ſui pretio redemerit, & in terras deſcenderit ad oſtendendam illi ſalutis viam, & demum impenderit vitam, mortem, paſſiones, laboreſque ſuos, ut lucraretur illam, ſuæque ſervituti ſubjiceret.

Ita eſt, Chriſtiani, anima noſtra eſt tamquam bonum, atque theſaurus Dei, hujus jactura illum mœrore confecerat, & ejuſdem ſalus quodammodo lætitiam ejus, & felicitatem conſtituit. Nonne hinc poſſumus haurire validas rationes, ut cooperemur ſollicitudinibus optimi hujus Paſtoris, & ſuaviſſimis ipſius perquiſitionibus reſpondeamus?

Primo proponentes nobis æquiorem ideam pretii hujus animæ.

Secundo ad Examen revocantes qua in re hæc adeo nobilis, & pretioſa anima ſit impendenda; ſcilicet ad acquirendam ſupremam Felicitatem, propter quam facta eſt: ex quo non erit arduum videre modicam curam, quæ pleriſque hominibus eſt, qui ne cogitant quidem de illa ab æterna calamitate vindicanda: Hæc tota erit Sermonis noſtri partitio.

Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evang. Titulum: ANIMA; *& in Tomo III. Titulum:* MISERICORDIA DEI, *& ibidem Titulum:* PŒNITENTIA.

PRO IV. DOMINICA

POST PENTECOSTEN.

Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus. Luc. 5.

I. ARGUM. De operum noſtrorum inutilitate.

FRUSTRA, Chriſtiani, abſente Filio Dei laboribus exercentur Apoſtoli, quemadmodum in hoc conqueruntur Evangelio. Fruſtra jaciunt retia ſua, omnemque adhibent curam, & induſtriam, multi ſe laboribus exercent, & nullum percipiunt fructum. *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.* *Luc. 5.* Verum ſtatim ac prodiit Salvator, piſcatio felix peracta eſt. Navigia duo, quæ ingenti copia omnigenæ multitudinis piſcium onerantur, ſubeunt periculum ſub immani pondere ſubſidendi, & illis ipſis obſtupeſcentibus propter facti novitatem, & neſcientibus quid ſentiendum eſſet de mutatione adeo inſperata, Petrus omnium ferventiſſimus ad Magiſtri pedes procubuit, & ceteri, qui illum comitabantur, ſimul naviculas, & retia relinquentes, ſequuntur illum, quem felicitas quocumque ſubſequebatur. *At illi relictis retibus ſecuti ſunt eum.* *Ibidem.*

Ecce Auditores plura Myſteria enucleanda: ecce ingens copia animadverſionum, & documentorum. Tamen hæc omnia ad unum cenſeo redigenda, videlicet ad medium utiliter ad Cæli acquiſitionem laborandi, & non amittendi fructum, meritumque actionum noſtrarum ex defectu conditionum, quæ ſunt neceſſariæ, ut fructus inde percipiatur, & dignæ fiant æterna remuneratione, vel ut quidam Sanctus Pater ait, *prægnantes bonorum operum.* Hæc ſpes pleroſque fruſtratur; ſæpe laborant plurimum, & nihil accipiunt; putant ſe adeptos eſſe ingentem meritorum cumulum; ſed morti proximi vacuas manus inveniunt; quia non laboraverunt cum Deo, neque propter Deum. Primum non laboratur cum Deo, cum in Dei gratia non ſumus; gratia enim Deum nobis præſentem facit, & omnes actiones noſtras vivificat, efficiens illas, ut Apoſtolus inquit, dignas pondere gloriæ; alioquin dicit Evangelium, hoc eſt operari per noctem, videlicet in ſtatu peccati, in quo nihil pro Cæli acquiſitione poſſumus mereri; *per totam noctem laborantes nihil cepimus.* *Ibidem.* Secundo non fiunt propter Deum, ut inquit Sanctus Petrus in eodem Evangelio noſtro, *in verbo tuo laxabo rete.* *Ibidem.* Parebo, Domine, imperanti, faciam, quod a me fieri vis; & omnia præſtabo, ut tibi placeam.

Ecce, Chriſtiani, magnum, ac perutile documentum, quod hodierna die Filius Dei nobis proponit; & medium admirabile, quod nos docet ad acquirenda ſine

novis

novis ſumptibus ingentia bona, immenſos meritorum theſauros, & ad evitandam calamitatem plurimorum, qui multa quidem, verum ſine fructu operantur.

Primo cum Deo laborandum eſt, hoc eſt in gratia Dei, per quam opera noſtra illi accepta ſunt.

Secundo laborandum eſt propter Deum ex mera, ſinceraque intentione placendi illi, & faciendi voluntatem illius. Quod in ſermonis decurſu explicabimus.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: OTIUM.

Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus, in verbo tuo laxabo rete. Luc. 5.

II. ARGUM. De Confidentia in Deo.

Nunquam alias Sanctus Petrus, aliique Apoſtoli feliciorem habuere piſcationem, niſi cum voci Filii Dei obedierunt. Hic illis præcepit, ut ex altero navigii, in quo erant, latere mitterent retia; hoc eſt, Mundi Salvator fecit, ut momento majus referrent lucrum, quam per omnes noctis labores retulerant. Profecto, ſudaſtis, laboraſtis, multa paſſi eſtis, & poſt hæc nihil cepiſtis, quia laboraſtis ſine illo: *per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Verum ſimul ac confidiſtis in illo, in verbo ejus, & auxilio, piſces catervatim irruerunt in retia veſtra, tanta in copia, ut illa ferme frangerentur, ita ut in eo labor veſter impenſus fuerit in colligenda piſcium multitudine, qua navicula veſtra repleta fuit. Hic eſt Chriſtiani effectus noſtræ in Deo confidentiæ, quæ in oculi ictu magis noſtra promovet negotia, quam profecerint omnes curæ, laboreſque noſtri toto vitæ noſtræ curriculo. Sed fateamur, Fideles, non adeo facile eſſe habere firmam hanc in Deo confidentiam, qualem Dei Filius poſtulat, ad inſtaurandum hodierni Evangelii miraculum: quandoquidem Sanctus Petrus ipſe, aliique Apoſtoli eadem caruerunt in tot aliis occaſionibus, & poſt tot alia miracula, quæ ob eorum oculos obverſabantur. Tamen virtutem adeo nobilem, ac neceſſariam ſuaſurus ſum hodie illis qui aur audiunt, oſtendens

Primo, ſine ope Dei, quidquid aggrediemur, nunquam nobis ceſſurum e ſententia, & ob leviſſimos caſus ſubverſum iri.

Secundo cum ope, & protectione Dei, in qua confidimus omnia in utilitatem, & commodum noſtrum ceſſura, ubi illa ad majorem Dei gloriam aggreſſi fuerimus, atque ut noſmet conformaremus ejuſdem voluntati eo in ſtatu, in quo nos ille conſtituit. Hoc ex hodierno Evangelio innoteſcit, in quo Deus hinc quidem remuneratur Sancti Petri confidentiam multitudine piſcium, qui in ejuſdem retia confluxerunt, inde vero eum confirmavit in eo metu, quo correptus fuit videns

Luc. 5. ſe tanto indignum ſubſidio: *Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens.* Hæc duo bona ſunt, quæ cedunt illis, qui non præfidentes in induſtria, laboribuſque ſuis in protectione, & Providentia Dei uſquequaque confidunt.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: CONFIDENTIA.

Cum turbæ irruerunt in JESUM, *ut audirent verbum Dei &c.* Luc. 5.

III. ARGUM. Modus prædicandi, & audiendi verbum Dei.

Hodiernum Evangelium nos docet, Filium Dei, qui venerat in terram ad homines erudiendos, ac tradendam illis novam doctrinam, omnibus uti occaſionibus exercendi miniſterium prædicationis propter quod miſſus fuerat, & per quod homines erudiri cupiebat. Quemadmodum vero vox illius ab omnibus hominibus ſingillatim, & locis in omnibus exaudiri non poterat, in hujus muneris ſocietatem cooptavit Apoſtolos, qui primi fuerunt Legis præcones, & qui primi annuntiaverunt Evangelium. Hi autem Apoſtoli, & Prædicatores iſtic exhibentur ſub nomine, ac munere Piſcatorum, qui divini hujus Præceptoris juſſu jacientes retia, ceperunt hanc piſcium multitudinem, quæ deſcripta eſt, ad ſignificandum fructum uberem, quod ferre poteſt verbum Dei, ubi diſpenſatum fuerit in circumſtantiis, & cum neceſſariis conditionibus. Verum quin fuſius verba faciam de præſtantia, poteſtate, ac virtute divini hujus verbi, animadverto ſolum, Evangelium hujus diei docere

Primo in Filio Dei, qui ſumit occaſionem illud ante alios prædicandi, veram illius enuntiandi rationem.

Secundo in populis undequaque confluentibus ad illum audiendum, rationem, qua illud audire opus eſt, ut inde fructus, quem afferre poteſt, percipiatur.

Tertio in miraculoſa Apoſtolorum piſcatione inſignem effectum pro converſione peccatorum, & nationum do-

Luc. 5. ctrina. *Concluſerunt piſcium multitudinem copioſam.*

Pro parte prima, quæ continet Prædicatoris officium, Filius Dei nos docet. Primo munus hoc aggrediendum non eſſe ſine peculiari miſſione, ſicut ille ipſe miſſus fuit a Patre ſuo, quemadmodum pluribus in locis Evangelii ſui teſtatus eſt. Secundo prædicando verbum hoc de Sancti Petri navigio, quod nobis oſtendit, in vera tantum Eccleſia verum Dei verbum nuntiari. Tertio ipſum hoc ſine perſonarum vel conditionum acceptione populis prædicaſſe, quin in hoc munere quæreret aut fulgorem, aut Auditorum nobilitatem, ſed ad eos loquendo, qui melius proficere poſſent. *Pauperes Evangelizantur.*

Pro parte altera, quæ reſpicit Auditores: Ex hoc ipſo Evangelio diſcimus modum audiendi verbum Dei. Primo accedendum eſt cum feſtinatione, & ingenti deſiderio inde proficiendi: *Cum turba irruerent in* JESUM, *ut audirent verbum Dei.* Secundo afferenda eſt attentio neceſſaria, qualem attulerunt populi iſti, cum Salvator loqueretur eis de navicula, ubi ſedebat ad evitandam turbam audientium de littore. Tertio diſcitur fructus, qui ex eodem verbo poteſt hauriri, qui cognoſcitur ex profectu eorumdem Apoſtolorum, qui tunc illius primi Auditores fuerunt: namque Sanctus Petrus primus omnium ad Filii Dei pedes procubuit, ſe vere peccatorem eſſe confeſſus. *Recede a me, quia homo peccator ſum;* & alii reliquerunt phaſellum ſuum, & retia, ut JESUM ſequerentur, eique unice adhærerent.

Pro parte tertia, quæ eſt miraculoſa illa piſcatio, quam fecerunt Apoſtoli, dubitari nequit quominus repræſentet nobis non ſolum multitudinem peccatorum, verum etiam Nationum ex Idolorum cultoribus conflatarum, quæ converſæ fuerunt, & ad fidem vocatæ vi, ac virtute divini hujus verbi, quod ad hanc quoque diem eamdem obtinet facultatem in animos peccatorum; ubi adminiſtretur, uti decet, & afferantur eædem diſpoſitiones ad proficiendum.

Vide Bibliothecæ Moral. Evangel. Tomo IV. ſub Titulo: VERBUM DEI.

PRO V. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum Cælorum. Matth. 5.

I. ARGUM. Tenetur Chriſtianus facere opera bona.

DUo ſunt omnino neceſſaria in Fideli, ſine quibus fruſtra jactat glorioſi hujus nominis privilegia, & mercedem ſperat, quam pollicitus eſt Deus illis, qui muneribus ſuis fuerint perfuncti: Fides, & lex. Fides omnium myſteriorum Religionis noſtræ, & praxis bonorum operum, quæ præſcribuntur ab illa. Ecce quænam ſint duo Chriſtianiſmi fundamenta, ac totius Evangelii Compendium. Quod pertinet ad Fidem, & Religionis noſtræ Myſteria, jam locuti ſumus in ſuperioribus; & ſi quid reſtat, de quo plenius erudiendi ſimus, non deerunt occaſiones hoc efficiendi in reliquo anni hujus curriculo: quod vero ſpectat ad praxim operum bonorum, quorum neceſſitas inevitabilis eſt, Salvator nos erudire videtur in hodierno Evangelio, ubi palam docet diſcipulos ſuos, & in eorum perſona Chriſtianos omnes quod, *niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum Cælorum.* Matth. 5.

Verbum terribile! Auditores, præſertim vero hoc ſæculo, quo videtur, prout Fides in omnem terrarum orbem ſe effudit, caritatem in cordibus noſtris intepuiſſe, ut loquitur Evangelium; & dum Chriſtiani fidem ſuam actionibus probare deberent, actiones eorum e contra oſtendere nullam in ipſis fidem reperiri. Quod autem efficit, duo hæc quæ a Fideli exigit Deus, ſeparari invicem nequeant, hodierna die vobis oſtenſurus ſum

Primo obligationem, qua Chriſtianus tenetur, bona opera facere, quod primum erit punctum.

Secundo conabor oſtendere nullum eſſe Chriſtianum, quocumque in ſtatu ſit, & cujuſcumque ſit conditionis, qui hoc munere nequeat perfungi.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: OPERA BONA.

Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Matth. 5.

II. ARGUM. De Ira.

Primo licet Affectus hic homini inſitus fuerit ad injuſtitiam coercendam; plerumque nihil injuſtius eſt in principio, & in ipſa agendi ratione; etenim leviſſimas ob cauſſas iraſcimur.

Secundo quamvis ira nos excitare deberet ad heroicas virtutes, obnoxia eſt maximis, & damnandis criminibus, niſi coerceatur, & ſi eadem nos rapi ſinamus.

Tertio quamvis ad maximas, ſanctiſſimaſque actiones ſit neceſſaria, tamen optimas quaſque corrumpit, & vetat, ne cedant e ſententia.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: IRA.

Si ergo

Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum ſe: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum. Matth. 5.

Sacrificantes Deo ſenſus iracundiæ, & ultioni abrenuntiantes, gratiſſimum, maximumque offerimus Sacrificium, quod aliquam habet ſimilitudinem cum Sacrificiis legis antiquæ.

III. ARGUM. De reconciliatione cum inimicis.

Primum erat Holocauſtum, in quo victima tota omnino erat conſummanda; quod accidit in Sacrificio, quod fit Deo ultionis. Nobis præripiatur honor, bona, exiſtimatio; & in ſtatum adducamur jamjam vitam ipſam amittendi; ſtatim ac affecti ſumus animo noxam illatam dimittendi, & non expoſcendi vindictam, nihil nobis reliquum eſt, quod offeramus Deo. Hoc integrum Sacrificium, & Holocauſtum eſt, & nihil victimæ ſupereſt.

Alterum erat Sacrificium Propitiationis, quod vulgo dicebatur *Sacrificium pro peccato.* Ultionis Sacrificium jure hoc nomine poteſt vocari; quandoquidem niſi inimicis noſtris conceſſerimus veniam injuriarum, quas accepimus, nunquam impetraturi ſumus a Deo veniam peccatorum noſtrorum; cum e contra dimittentibus ex corde, nulla ſunt peccata adeo gravia, ac tam multa, ut veniam eorum nequaquam nos conſecuturos vereamur. Quod proculdubio latum Oratori differendi campum aperit.

Tertium erat Sacrificium, quod dicebatur *in honorem.* Non quod omne verum Sacrificium non fuerit inſtitutum in honorem Dei, ſed quod ſecernendum erat Sacrificium propitiationis a reliquis Sacrificiis ab holocauſto diverſis, in quibus victimæ portio reſervabatur in uſum ſeu Sacrificulorum, ſeu illorum, pro quibus offerebantur. Quamvis itaque verum ſit a dimittentibus injurias, & diligentibus eos, a quibus eas perceperunt, fiat Domino abſolutiſſimum, quod illi fieri poſſit, Sacrificium præſertim rei illius, quæ nobis maxime negotium faceſſit, & honoris ſumma vocatur; hoc non obſtat, quominus fidelis, qui quodammodo erogat ſumptus hujus generoſæ oblationis, habeat portionem, quam Deus illi reſervat honoris, quem illi pleniſſimo immolat affectu, vel potius ex actione ſua alium colligat honorem toto Cælo ſuaviorem, nobilioremque, qui ex prioris reliquiis quodammodo naſcitur. Ita hæc venia, & hic amor in maximum cedit honorem Dei, & hominis; Dei quidem propter rationes, quas in priori parte intuiti ſumus; quoniam nunquam melius ſuprema illius magnitudo, atque auctoritas recognoſcitur, quam illi in re tam difficili obediendo: hominis vero, quia nihil unquam facere poſſumus præſtantius, vel magis heroicum; ideoque non poſſumus nobiſmet ipſis conciliare ampliorem honorem, & coram Deo, & apud homines ſapientiores; & proinde poſſumus etiam dicere, fidelem hoc pacto ſe ipſum ſuperare, idque ratione pacis Cæleſtis, & voluptatis, quæ manat ex hoc Sacrificio: quod Spiritus ſanctus in Scripturis dicit de diligentibus obſervatoribus legis, qui ſtatis temporibus accedebant in Templum per Sacerdotum manus oblaturi

Deuter. 16. ſua Sacrificia. *Et epulaberis in omnibus, quæ Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.*

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: AMOR INIMICORUM.

PRO VI. DOMINICA
POST PENTECOSTEN.

Miſereor ſuper turbam, quia triduo jam ſuſtinent me, nec habent, quod manducent. Matth. 8.

I. ARGUM. De Confidentia in Deo pro rebus temporalibus.

QUANTUMVIS admirabile ſit illud prodigium, quod in hodierno Evangelio narratur, in quo Dei Filius paſcit quatuor ferme hominum millia cum panibus ſeptem, & nonnullis piſciculis: non ideo tamen ex Sancti Auguſtini ſententia citra ſtuporem, & fortaſſe animadverſionem quotannis hoc præſtantius intuemur; aliquot enim ſemina terræ credita ita multiplicantur, ut ſufficiant alimoniæ omnium mortalium per virtutem illis inſitam a Deo ab ipſo ſæculorum primordio producendi, & ſuppeditandi quæcumque nobis ad victum ſunt neceſſaria. Verum hoc illud eſt, Chriſtiane, quod nos cogit animum advertere ad divina Providentiæ conſilia ad excitandam in nobis confidentiam, quæ nobis habenda eſt in illa in omnibus neceſſitatibus noſtris: quoniam licet affluenter generalibus egeſtatibus noſtris conſuluerit, fieri tamen non poteſt, quominus in peculiaribus ea, quæ maxime neceſſaria ſunt aliquando deficiant, & ſæpe etiam uſuvenit, ut omne humanum ſubſidium ſolatium illis afferre non valeat, vel eas prohibere, quemadmodum contigit huic multitudini in deſerto, quæ Salvatorem in deſertum ſubſecuta incipiebat magnis incommodis laborare: quorum miſertus Dei Filius illis conſuluit inſigni miraculo multiplicationis panum, ut intelligeremus, ipſum neque oblivifci poſſe, neque derelinquere eos, qui in ipſius bonitate confidunt.

Verum eſt, quemadmodum ipſe, cum ſibi tamquam præcipuum finem animæ noſtræ ſalutem propoſuerit; ita curam illius præcipue extendi in hanc præſtantiorem hominis partem, quæ fuit objectum non ſolum ſollicitioris curæ ſuæ, verum etiam uberioris affectus: Sed cum de re hac ſatis perſuaſum hominibus ſit, & raro in illis confidentia deficiat pro illis, quæ cæleſtia bona reſpiciunt, ut immo ſatis multi hac in re per nimiam peccent præſumptionem, & e contra pauciſſimi, qui perfecte confidunt in Deo in vitæ hujus neceſſitatibus, ad hanc confidentiam, quæ vocari poteſt temporalis, conabor vos hodierna die compellere propoſita vobis conſideratione curæ illius, quam Juſtorum gerit Omnipotens.

Ut autem vobis hanc confidentiam ſuadeam, quæ non eſt aliud niſi ſpes in Deo conſtans, & ſolida, atque virtus hodierna die inter Chriſtianos incognita, quamvis nobis in primis neceſſaria; animadverto hominem propter nihilum, ex quo emerſit, duo potiſſimum habere conditioni ſuæ inhærentia; hinc quidem indigentiam, propter quam mendicat a ceteris creatis opem; inde vero imbecillitatem, propter quam undique protectionem, & ſubſidium requirit. Ita Providentia ex duplici hoc capite ſeſe prodit confidentibus in ea, quod nos cogit, ut ad eam in omnibus neceſſitatibus utrinque proficiſcentibus confugiamus.

Primo, quia Providentia peculiarem gerit curam eorum omnium, quæ ad nos ſpectant, benevola bonitate omnia prævidens, & providens omnibus neceſſitatibus noſtris.

Secundo nos tuetur, & protegit contra omnia, quæ nobis nocere poſſunt ſive per injuſtitiam, & impotentiam hominum, ſive per inopinatos caſus, qui poſſent ingruere. Hoc Dei Filius operatur cum hac populi turba, quæ illum ſubſecuta eſt; quæ duo erunt puncta hujus ſermonis.

Vide in Tomo, I. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: CONFIDENTIA IN DEUM, *& in Tomo IV. Titulum:* PROVIDENTIÆ.

Miſereor ſuper turbam, quia triduo jam ſuſtinent me, nec habent quod manducent. Marc. 8.

II. ARGUM.

Dei Filius, Chriſtiani, qui reliquo vitæ ſuæ curriculo fuit pauperum exemplum, hodierna die in Evangelio miraculum operatur futurus viciſſim exemplum divitum erga illos; & ejus Providentia, quæ hoc permiſit fortunarum, & conditionum in hominibus diſcrimen, noluit utroſque relinquere ſine medio operandi ſalutem ſuam, neque ſine exemplo, quod in perſona ſua poſſent imitari. Oculos attollit viſurus neceſſitatem hujus multitudinis, quæ ipſum ſecuta fuerat in deſertum, *Cum ſublevaſſet* JESUS *oculos;* Cor ejus miſertum eſt: *miſereor ſuper turbam iſtam.* Sed ejus miſericordia migrat uſque ad effectum per miraculoſam quinque panum multiplicationem, qui ſatis fuerunt alendis quinque millibus hominum. Hæc eſt, Fideles, lectio, exemplum, & præceptum ſimul, quod irrogat divitibus aperiendi ſimul oculos ad inſpiciendam pauperum neceſſitatem, cor ad miſereſcendum fraternæ egeſtatis, & manus ad erogandam eleemoſynam ex bonis, quorum largum donatorem ſe Deus illis præbuit; quod ſi fecerint cum eadem affectione, audeo dicere, exitum non fore longe diverſum; & ſicuti in hac diſtributione a Salvatore peracta, obſtupuerunt Apoſtoli videntes panem in diſtribuentium manibus multiplicari, ita bona illorum in pauperes diviſa non interibunt, ſed e contra centuplo multiplicabuntur, ſæpe etiam in hoc vitæ curriculo, quare Sanctus Chryſoſtomus inquit, in hoc tantum miraculo nobis imitandum eſſe mundi Salvatorem, cum in ceteris ſufficere nobis debeat documentum, quod continent.

Quidquid ſpectat ad officium Chriſtiani erga pauperes, redigi poteſt ad tria, quæ Dei Filius operatus eſt, cum aluit panibus quinque admirabilem populi turbam, & quæ fuerunt populi neceſſitatem videre, illius miſereri, eique ferre opem.

Primo *Cum ſublevaſſet oculos* JESUS. Oculos extulit, ut videret laborantium neceſſitatem. Ubi oſtendi poteſt Chriſtianis ſatis eſſe non debere, ſi obviis, & opem petentibus auxilientur; ſed debere eorum cognoſcere egeſtatem, illos perquirere, illos inviſere in xenodochiis, atque in carceribus; verecundorum pauperum calamitates

aperire,